


De Roberti Gaguini, ministri generalis ordinis ...

Pierre de Vaissière

DE

ROBERTI GAGUINI

VITA ET OPERIBUS

DE

ROBERTI GAGUINI

MINISTRI GENERALIS ORDINIS SANCTAE TRINITATIS

VITA ET OPERIBUS

1425?-1501


THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT AD GRADUM
DOCTORIS PROMOVENDUS

P. DE VAISSIÈRE
LICENTIATUS IN JURE CIVILI.



AUTRICI CARNUTUM
EX TYPIS DURANDI
9, VIA DICTA FULBERT, 9
MDCCCXCVI


HARVARD COLLEGE
AUG 30 1922
LIBRARY

PATRI MEO CARISSIMO.

I.

ROBERTI GAGUINI OPERUM OPTIMAE AUCTIORESQUE EDITIONES.

— *Compendium Roberti Gaguini super Francorum gestis ab eo recognitum et auctum... impressit diligens ac peritus Thielmannus Kerver, in inclyto Parisiorum gymnasio, impensis optimorum bibliopolarum Durandi Gerlerii et Johannis Parvi, anno gratiae, quem Jubileum vocant a natali christiano M. quingentesimo, ad idus Januarias.* (Tertia decima die Januarii 1501, n. s.)

In-fol., rom. char., 6 ff. non num., 169 ff. num., et 5 ff. non num. [1].

— *Roberti Gaguini, Juris canonici interpretis epistolae; ejusdem orationes... quae omnïa Durandi Gerlerii biblyopolae parisiensis impensa impressa sunt... anno Domini MCCCCXCVIII.*

In-4°, goth. char., 64 ff. num., 42 ff. non num. [2].

— *Epistolae et carmina quibus elegantissime in medium datur repudiatio filiae Regis Romanorum Maximiliani per regem Francorum Carolum facta et superductio filiae ducis Britonum, praefati Romanorum Regis sponsae.*

In-4°, goth. char., 10 ff. non num., s. loc., an. et typ. nom. (1492 ?) [3].

— *Statuta ordinis fratrum Sanctae Trinitatis et redemptionis captivorum,* anno Domini MCCCCLXXVII° et anno Domini

1. In Bibliotheca Nationali. (Réserve L^{35}11); in Bibliotheca Sanctae Genovefae. (Inc. 701). — Hujus operis prima editio (1495) conservatur in Bibliotheca « de l'Arsenal » dicta.

2. In Bibliotheca Nationali (Réserve Z, 754); — in Bibliotheca Sanctae Genovefae (Inc. 665^2); — in Bibliotheca Mazarinea. (Inc. 997, 997^d, 1020.)

3. In Bibliotheca Nationali. (Réserve L^{28}b 46.)

MCCCCXCVII° a Gaguino promulgata. (In codice membranaceo in Bibliotheca Mazarinea asservato et numero 1766 notato; xv° saec.)

— *Les Commentaires de Jules Caesar sur le faict de la conqueste du païs de Gaule mis en francois et présentez au Roy Charles huictiesme par Robert Gaguin, général ministre de l'ordre de la Trinité.*

In-fol., goth. char., apud Ant. Vérard, 1485, 211 ff. num., 2 col. [1].

— *Le passe-temps d'oysiveté de maistre Robert Gaguin, docteur en décret, ministre et général de l'ordre Saincte Trinité et rédemption des captifs, pour le temps qu'il estoit à Londres en ambassade... l'an Mil CCCC IIII^{XX}IX.* (A. de Montaiglon. *Recueil de poésies françaises des XV*^{e} *et XVI*^{e} *siècles, morales, facétieuses, historiques*, t. VII, Parisiis, 1858, in-12.)

— *Gaguini de arte metrificandi praecepta.*

In-4°, goth. char., apud Ant. Caillaut, 40 ff. non num., s. an.[2].

— *Roberti Gaguini de variis vitae humanae incommodis elegia.* Parisiis, in via sancti Jacobi ad signum capitis divi Dionysii.

In-4°, rom. char., 4 ff. non num., s. an. et nom. typ. (1498 ?) [3].

— *Roberti Gaguini de misera hominis conditione elegia.* Parisiis, apud Fel. Baligault.

In-4°, goth. char., 6 ff. non num., sine an [4].

— *Robertus Gaguinus de puritate Conceptionis beatae Mariae Virginis.*

In-4°, goth. char., 13 ff. non num., Parisiis, apud F. Baligault, s. an.[5].

— *Roberti Gaguini... tractatus de puritate Conceptionis Virginis Mariae.* (Hujus tractatus nova editio typis mandata est in anno 1885 (Parisiis, apud Liseux) ab Alcide Bonneau, cum hoc titulo : « *L'Immaculée Conception de la Vierge, poème par Robert Gaguin.* ») In-8°.

1. In Bibliotheca Sanctae Genovefae. (Inc. 568.) Hoc opus continent duo codices manuscripti in Bibliotheca Nationali asservati, numerisque 728 et 1392 (f. fr.) notati.
2. In Bibl. Sanctae Genovefae. (Inc. 665².)
3. In Bibl. Sanctae Genovefae. (Inc. 665².)
4. In Bibl. Sanctae Genovefae. (Inc. 788.)
5. In Bibl. Sanctae Genovefae. (Inc. 725.)

II.

INDEX LIBRORUM.

ACHERY (L. D'). — *Spicilegium sive collectio veterum aliquot scriptorum*. Parisiis, 1723, in-fol., t. II.

AUBERTUS MIRAEUS. — *Elogia belgica sive illustrium Belgii scriptorum, qui nostra patrumque memoria vel ecclesiam Dei propugnarunt, vel disciplinas illustrarunt, vitae breviter commemoratae*. Antverpiae, 1609, in-4°.

BACON (F.). *Historia Henrici VII*. Londinii, 1629, in-4°.

Biographie belge. — T. VII (1883), v°: GAGUIN. (Le Roy).

BONNEAU (A.). — *L'Immaculée Conception de la Vierge, poème par Robert Gaguin*. Lutetiae Parisiorum, 1885, in-8°.

BRICARD. *Un serviteur et compère de Louis XI, Jean Bourré*. Parisiis, 1893, in-8°.

BULAEUS. — *Historia Universitatis Parisiensis*. Parisiis, 1670, in-fol., t. V.

BURCHARDUS (Johannes). — *Diarium sive rerum urbanarum commentarii* (1483-1506); ed. L. Thuasne. Parisiis, 1893, t. I.

CHARTIER (Jean). *Histoire de Charles VII*. (Ed. Denys Godefroy. *Histoire de Charles VII*. Parisiis, 1661, in-fol.)

CRÉVIER. — *Histoire de l'Université de Paris*. Parisiis, 1761, in-12°, t. IV.

DELABORDE (H.-F.). — *L'expédition de Charles VIII en Italie*. Parisiis, 1888, in-4°.

Dictionnaire historique et archéologique du Pas-de-Calais; arrond. de Béthune, t. III. Atrebati, 1879, in-8°.

DUPLEIX (Scipion). — *Histoire générale de la France*. Parisiis, 1621, t. I.

DUPUY (A.). — *Histoire de la réunion de la Bretagne à la France*. Parisiis, 1880, 2 vol. in-8°.

Erasmus. — *Ciceronianum.* (*Opera omnia,* Basileae, 1540, t. II.)

Erasmus. — *Epistolarum libri XXXI.* Londinii, 1642, in-fol.

Faguet (E.). — *Sur l'Alexandrinisme.* (*Revue des Deux-Mondes,* Iª die maii 1894.)

Forgeot (H.). — *Jean Balue, cardinal d'Angers.* Parisiis, 1895, in-8°.

Gazet (G.). — *Tableaux sacrés de la Gaule Belgique.* Atrebati, 1610, in-4°.

Guicciardini. — *Storia d'Italia.* Florentiae, 1775, t. I.

Helyot. — *Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires.* Parisiis, 1716, t. II, in-4°.

Hermant. — *Histoire de l'établissement des ordres religieux et des congrégations religieuses.* Rhotomagi, 1697, in-12.

Ignace (Le Père). — *Mémoires sur le diocèse d'Arras* (*in Atrebatica bibliotheca asservati*), t. III.

Infessura. — *Diarium,* ed. Muratori, *Scriptores rerum italicarum.* Mediolani, 1723, t. III, in-fol.

Jourdain (C.). — *Index chronologicus Chartarum pertinentium ad historiam Universitatis Parisiensis.* Parisiis, 1862, in-fol.

Lacabane. — *Recherches sur les auteurs des Grandes Chroniques de France.* (*Bibliothèque de l'École des Chartes,* Iª series, t. II, p. 57).

Legeay (U.). — *Histoire de Louis XI.* Parisiis, 1874, in-8°, t. II.

Legendre. — *Vie du cardinal d'Amboise.* Rhotomagi, 1725, in-4°.

Martène et Durand (DD.). — *Thesaurus anecdotorum novus.* Parisiis, 1717, in-fol., t. I.

Maulde (R. de). — *Procédures politiques du règne de Louis XII.* (Coll. *Documents inédits de l'histoire de France.* Parisiis, 1885, in-4°.)

Mézeray. — *Histoire de France.* Parisiis, 1685, in-fol., t. I.

Morice et Taillandier (DD.). — *Mémoires pour servir de preuves à l'histoire de Bretagne.* Parisiis, 1743, in-fol., t. III.

[Musson]. — *Ordres monastiques.* Berlini, 1751, in-12, t. II.

Niceron. — *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres.* Parisiis, 1745, in-12, t. XLIII.

Pastor. — *Geschichte der Paepste.* Friburgi, 1891, in-8, t. II.

Philippe. — *Guillaume Fichet.* Parisiis, 1888, in-8°.

Plancher (D.). — *Histoire générale et particulière de Bourgogne*. Divione, 1781, in-fol., t. IV.

Quicherat. — *Thomas Basin, sa vie et ses œuvres*. (*Bibl. de l'Éc. des Chartes,* I[a] series, t. III, p. 371.)

Roty. — *Études sur Robert Gaguin*. Atrebati, 1840, in-4°.

Rymer. — *Foedera, conventiones, litterae... inter Reges Angliae et alios quosvis reges*. 1739-1745, in-fol., t. V.

Sanderus. — *De scriptoribus Flandriae*. Antverpiae, 1624, in-4°.

Schmidt (Ch.). — *Histoire littéraire de l'Alsace à la fin du XV[e] et au commencement du XVI[e] siècle*. Argentorati et Lutetiae, 1879, in-8°, t. I.

Sorel. — *Avertissement sur l'histoire de la Monarchie*. Parisiis, 1712, in-12°.

Thierry (Augustin). — *Dix ans d'études historiques*. (*Opera omnia*. Parisiis, 1859, in-8°, t. III.)

Thomas (Ant.). — *De Johanne de Monsterolio*. Parisiis, 1883, in-8°.

Thurot. — *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*. Parisiis, 1850, in-8°.

Toussaint-Duplessis. — *Histoire de l'Église de Meaux*. Parisiis, 1731, 2 t. in-4°.

Trithemius. — *Opera historica,* ed. Busée. Francfurti, 1601, in-fol.

Ulmann (H.). — *Kaiser Maximilian I*. Stuttgarti, 1884, in-8°, t. I.

Vertot. — *Dissertation sur l'origine du royaume d'Yvetot*. (*Mémoires de littérature tirés des registres de l'Académie royale des inscriptions et belles-lettres depuis l'année* 1711 *jusques et y compris l'année* 1717, t. IV. Parisiis, 1723, in-4°.)

Vossius. — *De historicis latinis libri III*. Lugduni Batavorum, 1613, in-4°.

PRIMA PARS.

DE ROBERTI GAGUINI VITA.

CAPUT PRIMUM.

DE ROBERTI GAGUINI VITA USQUE EO QUOAD MINISTER GENERALIS MATHURINORUM ORDINIS ELECTUS FUERIT.

1425?-1473.

Robertus Gaguinus, falso Rupertus Gaguinus a Trithemio[1] appellatus, Calonae, in vico Lisiae flumini apposito et in extremo Atrebatensi dioecesi natura collocato, natus esse videtur. Sic saltem P. Ignatius in suis « Mémoires sur le diocèse d'Arras[2] », et Toussaint-Duplessis in sua « Histoire de Meaux[3] », et Vossius in suo « De historicis latinis » libro[4], et Niceron in suis « Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres[5] » opinantur; quod ergo maximi ponderis est habendum. Guicciardinus quidem in sua « Storia d'Italia[6] », Aubertus Miraeus deinde in suis « Elogiis belgicis[7] », Sanderus quoque in tertio libro operis « De scriptoribus Flandriae[8] » compositi, Guillelmus denique Gazet in suo libro « Tableaux sacrés de la Gaule Belgique[9] » dicto, eum Duaci ortum esse credunt, non autem

1. Trithemius, *Opera historica*, ed. J. Busée, p. 250.
2. P. Ignatius, *Mémoires sur le diocèse d'Arras*, t. III.
3. Toussaint-Duplessis, *Histoire de l'Église de Meaux*, t. I, p. 186.
4. Vossius, *De historicis latinis libri III*, p. 663.
5. Niceron, *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres*, t. XLIII, p. 1.
6. Guicciardinus, *Storia d'Italia*, t. I, p. 25.
7. Aubertus Miraeus, *Elogia belgica*, p. 176.
8. Sanderus, *De scriptoribus Flandriae*, p. 185.
9. G. Gazet, *Tableaux sacrés de la Gaule Belgique*, p. 75.

valde demonstrant. Quo verum tempore natus sit haud facile est indicare : hoc unum nobis dicere licet eum quinto decimo saeculo, circa primam e quattuor partibus exeuntem, id est inter annum 1420 et annum 1425, natum esse.

Ab Auberto Miraeo haud spernenda quidem familia, « honestis, inquit scriptor, parentibus », natum eum fuisse refertur[1]. Revera fatendum est nos de ejus origine nullum habere indicium. Quidquid est, non mature parentes amisit, ut a quibusdam dictum est; quadam enim in epistula, quam videtur non ita juvenis scripsisse, de matre sua, filium precata ut veniat et visat, loquitur[2]. Pro certo autem habetur et fere universe constat eum adulescentulum adhuc in monasterium Praevinense, in silva Neppae situm, quod ordinis Sanctae Trinitatis vel Mathurinorum erat, venisse, ibi studiis vacavisse, et professionem fecisse. Ipse enim, litteris quibusdam ex silva Neppae anno 1462 missis, nobis accurate indicavit quantum illius Ordinis a quo adulescens tutatus atque doctus fuisset beneficiis obligaretur. « Nam, patribus correctoribus capituli generalis ordinis Sanctae Trinitatis inquit, cum essem a puero sacrae religionis institutis perdeditus meque ad egregias artes et disciplinas aptum per vestram sapientiam judicaretis, non sustinuistis molle adhuc et tenellum ingenium rustica simplicitate durescere, non passi estis me litteras quaeritantem longissime pervagari, sed rebus omnibus.... nudum ita humanissime et suscepistis et fovistis ut quidquid tum fortunae, tum virtutis ex schola divinarum litterarum posthac consequi spero, id omne vestrum esse asseverare poteritis[3] .» Atque etiam haec addit, e quibus puerum eum a parentibus parum curatum esse inferre licet : « Mihi persuasum faciam tantum vobis me debere, quem in lucem litterarum demisistis,

1. Aubertus Miraeus, *loc. cit.*

2. Robertus Gaguinus Joanni Navello. (*Epistolae et orationes*, fol. 4 v°.)

3. Robertus Gaguinus patribus correctoribus capituli generalis Ordinis Sanctae Trinitatis; die aprilis tertia decima. (*Epistolae et orationes*, fol. 3 r°.)

quantum piissimis quisque obnoxius parentibus esse debet..... quoniam mihi in parentum loco succeditis[1]. »

Ille Mathurinorum vel Sanctae Trinitatis ordo haud multis laudibus a Gaguino tributis indignus erat, sed jamdiu ceteros virtutibus, doctrina et auctoritate antecellebat. A sancto Johanne de Matha et sancto Felice de Valois institutus, atque anno 1198, sub Sanctae Trinitatis nomine ab Innocentio III solemniter probatus[2], gloriabatur Ordo, propter cunabula prodigiis nonnullis illustrata, sese « non a sanctis fabricatum fuisse, sed a solo summo Deo[3] ». Mox tamen mire creverat atque ex Cervofrigido, in Meldensi dioecesi, ubi primum institutus erat, sese non solum in Galliam, sed in extremos populos, in Hispaniam praesertim effuderat, in qua brevi tempore non minus floruit quam in Gallia florebat. Monasterium ab ipso Felice de Valois positum fuit Lutetiae, in loco quodam ubi sacellum sancto Mathurino dedicatum exsistebat, unde nullo discrimine vel Sanctae Trinitatis vel Mathurinorum vocari Ordo poterat[4].

Disciplinae autem conditores cum existimarent Ordini praecipue curandum esse ut christiani a Barbaris in servitutem redacti redimerentur, tum sanctus Johannes de Matha et sanctus Felix de Valois ipsi illi negotio sese totos dederunt ac libertati felicitatique miseros plurimos reddiderunt. Jamjam anno 1200, sanctus Johannes de Matha a Maroco centum octoginta sex servos, et post paucos menses a Tunete viginti et centum reduxit[5]. Ejus vestigia ingressi sunt discipuli et, ut mox apparebit, ipse Gaguinus.

Lutetiae vero Sanctae Trinitatis ordo majori splendore micavit, quippe qui mox cum Universitate amicitia stricte

1. *Ibid.*
2. Helyot, *Histoire des ordres religieux*, t. II, p. 310-313. — D'Achery, *Spicilegium, sive collectio veterum aliquot scriptorum*, t. II, p. 492.
3. Hermant, *Histoire de l'établissement des ordres religieux*, p. 207.
4. Helyot, *op. cit.*, t. II, p. 315. — [Musson], *Ordres monastiques*, t. II, p. 294-295.
5. Helyot, *op. cit.*, t. II, p. 314.

conjunctus fuerit. Quod utrum ex hoc evenerit quod in Mathurinorum domo, in sancti Jacobi via dicta, scholae conditae fuerint felicissimae, an, ut asserit Belleforestius, ex hoc quod Universitatis, quia fundos occuparet Ordo, idcirco cliens fuerit, non potest vere dici. Constat vero cum Universitate Mathurinos conjunctissime vixisse. Etenim e titulo quodam sequitur jam anno 1244 Mathurinorum in monasterio ab Universitate concilia teneri et in templo sacra celebrari[1]. Erat insuper ibidem apud Mathurinos etiam Curia conservatoris privilegiorum Universitatis, in qua causae scholasticae et academicae disceptabantur[2]. Ex hac cum eruditissimo in Europa collegio conjunctione, quinto decimo saeculo efficiebatur ut Mathurinis cum libenter ceteras laudes, tum praesertim ob scientiam et liberalia studia famam omnes tribuerent.

In hanc parisiensem domum Praevinensis monasterii magistri Gaguinum miserunt, qui altioribus studiis vacaret. Quo autem tempore urbem ingressus sit dicere omnino non possumus. Contendere vero licet illum collegium Mathurinorum aliaque in via dicta du Fouarre sita celebrasse seseque dedisse studio juris et artis rhetoricae, quam ob rem clarissimum Guillelmum Fichetum audiverit. A Ficheto circa 1460 vel 1465 annum in lucem fuerat producta illa rhetorica, cui adhuc, etsi non omnino nullus, at certe exiguus locus in liberalibus studiis tributus fuerat[3]. Felicius idem quod sub fine quarti decimi saeculi a Petro de Alliaco, Gersone, Clamengioque tentatum fuerat, ut amoenitates litterarum et artis rhethoricae in Universitate restituerentur, ipse tentaverat, atque in scholis vel Sorbonae, vel aliorum magistrorum, vel etiam fortasse Mathurinorum mane theologiam atque philosophiam, vespere rhetoricam docebat. Sic igitur conabatur imitari illustres illos Graecos

1. Bulaeus, *Historia Universitatis parisiensis*, t. V, p. 387.
2. *Ibid.*
3. Philippe, *Guillaume Fichet*, p. 50-52. — Thurot, *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*, p. 83.

viros, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, qui res ut diserte sciebant ita bene dicebant[1].

Quod si epistulis a Gaguino ad Fichetum postea missis creditur, Mathurinus noster discipulorum maxime assiduus fuisse videtur. Talia enim magistro suo olim scribit: « Te praeceptorem appello et sequor et me fichetistam vocant multi... sed eorum latratus facile contemno..... te diligam, amabo, sequar atque pro virili parte honestabo[2]. »

Eumdem autem Gaguinum, a Ficheto institutum, rhetoricam in Mathurinorum collegio feliciter docuisse, a plerisque auctoribus pro certo datur, neque est cur dubitemus. Non potest saltem dici Gaguinus ipso 1463 anno auditiones aperuisse[3], cum illo tempore vix Fichetus docere coepisset, sed postea ducendum est, etsi a plerisque aliter censetur, Gaguinum discipulos edocuisse[4]. Hoc adde quod nobis traditur illum a Johanne Reuchlino auditum fuisse, nec parvi habendum est talem discipulum instituisse[5].

Cum tamen arti rhetoricae sese daret, jus canonicum, quod studium erat praecipuum, haud neglegebat; sed baccalariatu, — ut tunc aiebant, — postea licentia, denique doctoris gradu ornatus, mox professor creatus, denique juris Facultatis decanus ob merita virtutesque factus fuit[6]. Quo certo tempore munere illo fuerit indutus non liquet, sed verisimiliter circa 1467 vel 1468 annum. Monumentum saltem exstat quoddam, ex quo Gaguinum fingere licet his muneribus defungentem, oratio scilicet in collegio Doctorum pontificii juris, cum licentiam plurimi peterent, habita, quæ eleganter scripta, conspersaque floribus maxime ad

1. Crévier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 330-331.
2. Robertus Gaguinus Guillelmo Ficheto, theologo doctori. (*Epistolae et orationes*, fol. 10 r°.)
3. Ut asserunt : *Biographie belge*, t. VII, v° *Gaguin ;* Niceron, *op. cit.*, p. 2.
4. Philippe, *loc. cit.*
5. Bonneau, *Le poème de l'Immaculée Conception de Robert Gaguin.* Praef. p. xxxv. — Roty, *Études sur Robert Gaguin*, p. 23.
6. Bonneau, *loc. cit.* — Biographie belge, *loc. cit.*

tempus et locum pertinet. Modestia quadam lepida fingit orator sese metus et anxietatis candidatorum esse participem. « Cum ego hodie, inquit, post nocturnam quietem, — ut fit, — purgata mente volverem, prudentissimi Doctores, quas res versare et sustinere Decanum vestrum oporteat, coepi maxime intelligere verum esse quod ab Ecclesiaste rege omnium sapientissimo dictum est : cunctas res esse difficiles nec sermone posse facile comprehendi..... Nam cum ego coram intueor fortissimos pugiles et baccalarios, qui ex adverso signum pugnae exspectant, pars mihi tumoris incutitur et ita incutitur ut quamvis illos intelligam reverentia vestra atque hujus loci opinione permoveri, ipse tamen, qui in aciem primus sum descensurus subvereor mei nominis et famae facere periculum. Sed quod in procinctu hinc atque hinc paratae jam acies consistunt, audebo canente tuba castris egredi...... Et si qua in pectore per imbecillitatem formido surrepsit, illam expectorabimus[1]. » Nonne talia sunt elegantissima verba maximeque ad hortandum propria ? Deinde praeclara litterarum laudatione, decanus adulescentibus quam egregiis studiis vacent ostendit. Eos admonet considerare duplicem esse hominis in terra militiam : unam quae viribus corporis, alteram quae animi robore atque virtute geritur. Ut una et hominibus et bestiis communis est, ita altera, ut ait Aristoteles, « homo Deo simillimus habetur ». « Nam quemadmodum carnea mole participamus cum belluis, ita ingenio et rationis viribus proxime ad Deum conscendimus[2]. » Citatisque Catone, Terentio, Juvenali opinio confirmatur. Tertiam denique orationis partem aggrediens discipulos orat atque obsecrat ut animis adsint neque unquam deficiant. « Non adsunt enim, ait, judices ut hostes, non ut vincant, non ut triumphent habita victoria, sed ut exerceant probentque discipulos et probatos deducant ad

1. Roberti Gaguini cum baccalariorum examen in collegio doctorum juris pontificii ingrederetur oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 16 v°.)
2. *Ibid.*, fol. 17 r°.

lauream licentiae[1]. » Peroratione vero doctores hortatur ut candidatis indulgeant et veniam dent non favorem. « Sciscitabimini, prudentissimi Doctores, et interrogabitis ex integro quae sit in quoque horum, qui decertaturi sunt, doctrina, quod ingenii lumen, quae studiorum diligentia, quod experimentum rerum quae ad disciplinam juris canonici conveniunt; non vos ab aequitate favor dimoveat, non animi perturbatio per iram aut odium vos reddat asperos[2]. »

Illam orationem consulto diu perpendimus, quod cum solum exstat indicium de Gaguini decanatu, tum ex ea redivivos mores et antiquae Universitatis vitam conspicere possumus. Accidit vero ut haud secus ac nonnulla adhuc a nobis relata, ille quoque primus Gaguini in publicum ingressus quo tempore factus sit dicere non possimus. Posthac autem erimus feliciores.

Plane primum scimus anno 1468 Gaguinum ab Ordine in Hispaniam legatum fuisse. Supra enim diximus Mathurinorum monasteria et instituta illic maxime floruisse. Evenit autem ut illa a capite Ordinis et Ministri generalis, qui Lutetiae residebat, potestate longe distantia ad tutelam rejiciendam spectarent. Quod ad prohibendum aut refrenandum verisimiliter Gaguinus legatus fuisse videtur. Doctrinae profecto et virtutis causa electus, nobis itineris memoriam tradidit per litteras binas et orationes duas, e quibus etsi non satis liquet quo munus ejus tenderet, tamen iter ex parte restituere et quid de regionibus peragratis sentiret percipere possumus. Non potest dubitari quin Castellae magnam partem viserit, peregrinus ad sancti Jacobi de Compostella sacrum ingressus fuerit, et, cum in Beticam ipsam venisset, morbo Cordubae confectus fuerit[3]. Quo in morbo, ut ex oratione quadam constat, peculiarem concepit pietatem erga Virginem Mariam quam sibi dormienti appa-

1. *Ibid.*, fol. 17 v°.
2. *Ibid.*
3, Robertus Gaguinus Joanni Navello. (*Epistolae et orationes*, fol. 4 r° et v°-5 r°.)

ruisse et valetudinis integritatem restituisse asserit [1]. Denique Granatam intravit, ubi christianos multos e servitio redemit, quos postea Lutetiam redegit. Illud sane dulcissimum de itinere memoria servavit, nam anno 1473 in oratione altera, quanto triumpho in Lutetiam redierit commoto animo memoravit. « Introeuntibus enim nobis in urbem, ait, tanta fuit totius civitatis admiratio, laetitia, favor, tanta festivitas, tantus denique per vias et compita applaudentis turbae concursus, quantus ad visendum exterum quemdam maximum regem visus est unquam [2]. » Omnibus autem ex monumentis de hoc hispaniensi itinere nobis traditis, haec epistula nobis maxime interest ad amicum suum Franciscum Ferrebotum, pontificii juris laureatum, ex Burgiis missa, qua aperit quid de Hispania et Hispanis animadvertat [3].

Cum de superbia quam ex patriae fertilitate, amoeno coelo et felicitate, ex civium autem suorum virtute et fortitudine Hispani conceperunt, Gaguinus disserat et Galliam parvi ductam vehementissime indignetur, illorum superbiam contundere atque propriam suam patriam defendere conatur. Gallia igitur cum Hispania copiose collata, Hispanos nihilo Francis esse anteponendos vult demonstrare. Vix desinunt Hispani, ait, vel uberem glebam, vel urbes suas, vel gentis suae fortitudinem effere et nemorosam, ut dicunt, Galliam dejicere. Ferunt deorum munera Cereris et Bacchi, frumentum et vinum, addunt olivas, palmas, ficus ceterosque fructus. Sed quid eorum nostrae Galliae deest? Nihil ad eam

1. Roberti Gaguini de Virginis Conceptione ad Fratres sui ordinis oratio. (*Epistolae et orationes*.)

2. Roberti Gaguini de eligendo in suo ordine Ministro Generali oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 38 r°.)

3. Robertus Gaguinus Francisco Ferreboto, pontificii juris laureato. Ex Burgiis, xxiv^{a} die augusti, 1468. (Codex Parisiensis, — id est in bibliotheca quae Nationalis dicitur asservatus, — numero 5870 notatus, xv° sæculo scriptus, fol. 48-50, hujus epistolae transcriptionem continet.) — Cf.: DD. Martène et Durand, *Thesaurus anecdotorum novus*, t. I, 1833-1840. — Hanc epistolam cognovit Morel-Fatio, *Études sur l'Espagne*, t. I, p. 15 et seq.

frumenti defertur ab exteris; vineas passim colit, quarum vina non solum Aquitaniae et Celticae copiosissime sufficiunt, sed etiam ad Anglos, Scotosque transmittuntur; fructus autem, olivas, palmas, ficus habent quoque Provincia et ager Narbonensis[1]. Ingrediamur civitates Hispaniae. « Si recte putent, illas neque numero, neque structura, sed neque populi frequentia pares gallicis urbibus comperient. Aedificia nempe singula Castellae, cum nec compacta sint plurimum loci occupant et cum sint terrea minus decoris minusque perpetuitatis obtinent. Ita fit ut protensi parietes et pauca vaga tecta moenia distendant oppidorum. Vias quibus nullum inest pavimentum per hyemen altissimum lutum inquinat, per aestatem densissimi pulveres nunc obambulantium gressibus, nunc modico turbine in aerem lati oculos hominum atque ipsum solem obturbant[2]. » Aedes vero superbi illius populi, nonne vera sunt stabula? « In his praeter nudos parietes et fictilia vascula pauca conspicies nihil;... porcos domi enutriunt illi... et hic tanta tibi pulicum pernicies insultabit, quanta formicarum nusquam vidisti[3]. » — Victoriis denique et praeclaris facinoribus, in quibus sese jactat illa misera gens, nonne aliquid Gallia potest opponere? Multae res ac praeclarae a majoribus nostris aeque gestae fuerunt atque ab Hispanis. Tum vero lucido in loco, ex quo historicus scriptor praesentiri potest, Gaguinus omnes nostras laudes recenset, et Romam a Brenno captam, et Celtos Caesarem acriter depugnantes et a regibus nostris in Terram Sanctam ductos exercitus. « Sensit item, sub fine conclamat, Castella Bertrandi feroces manus, cum Henricum ex Hispania fugientem Franci reduxerunt, cum regni diadema quaesiverunt rege interempto. Num quidnam hujus Henrici posteritas ad hanc usque aetatem Francorum beneficentia Castellanis imperitat? O impudentissimam atque ingratissimam gentem! Se a Francis sibi partam libertatem non attendit!

1. DD. Martène et Durand, *Thesaurus anecdotorum novus*, t. I, 1834.
2. *Ibid.*, 1835.
3. *Ibid.*, 1839.

Subjacebat illa tyrannicis imperiis, opem a libero populo, durissimis pressa legibus, flagitabat; nunc libera facta, libertatis auctorem non solum non agnoscit, sed etiam despicit![1] »

Haud aequabiliter quidem Hispaniae effigies exprimitur, sed quam nervose ! ac praesertim quantus patriae amor inde apparet ! Haec est enim Gaguini peculiaris nota ; mox autem videbimus potissimum ex vehementer concitato in patriae glorias studio, ortum esse Gaguini opus maximum : *Compendium*, scilicet, *de rebus et gestis Francorum.*

Ex Hispania rediit circa exeuntem 1468 annum. In litteris enim Francisco Ferreboto missis quartum et vicesimum diem augusti mensis ejusdem anni invenimus adscriptum, quo tempore videtur Gaguinus perfecta esse legationem et itinera existimasse. Ex illo 1468 anno quattuor illius vitae anni nos fugiunt.

Anno demum 1473 eum reperimus, cum, defuncto Radulfo ministro, summum Ministri Generalis Mathurinorum munus consequeretur. Illo tempore in primis Mathurinorum certo elucebat Gaguinus, quippe qui a fratribus electus fuerit, qui mortui laudes celebraret et oratione exponeret quibus consiliis et quo animo novus Generalis Minister eligendus esset. Inter Mathurinorum igitur legatos Cervifrigidi, ubi primum institutus fuerat Ordo, congregatos, verba fecit Gaguinus. Contigit nobis ejus orationem tradi, quae inter omnes dignissima est quae nos detineat[2]. Exordio virtutes extollit mortui « in quem cum natura multas corporis dotes contulisset, super quoque induxerat Deus animi virtutes quam plurimas[3] ». Ejus, quasi plane excellentis, pietatem, amoenitatem, studium, in rebus gerendis beneficia commemorare haud utile est. Statim ut ad summum munus elatus fuit « suam dignitatem non inerti otio passus est elan-

1. *Ibid.*, 1837-1838.

2. Roberti Gaguini de eligendo in suo ordine Ministro Generali oratio, 1473. (*Epistolae et orationes*, fol. 37 r°-41 r°.)

3. *Ibid.*, fol. 37 v°.

guere »[1], sed contra magno negotio fratres visere coepit bonos ad hortandos, malos ad puniendos. Post hoc longum arduumque iter « regiam Parisiorum urbem habitare statuit, non ut quidam oblocutores mentiti sunt exercendae voluptatis, non dilatandae gloriae causa. Illic enim in adeundis scholis, in colendis doctis hominibus tam sedulus visus est semper quam videmus juniores, quibus est magistrorum quotidiana coactio »[2]. Inde vero opus perfecit et de fratribus semper sollicitus fuit, de illis praesertim « quos oculis videre, quos consolari, quos confirmare non poterat »[3]. Sed immatura morte suis raptus non officio sibi a sese imposito defungi, nec Ordinem ut cupiebat restituere potuit. Quam tamen Mathurinis utile foret ejus consiliis et curatione frui! Nunc iterum rectore orbatis, quamvis strenue Minister defunctus contenderit, quot ac quanta supersunt facienda aut corrigenda! Merito sane Radulfus indignabatur ac deplorabat Ordinis abjectionem! Tum Gaguinus, cum maxima nostra utilitate, fratrum mores exprimit, non nervose minus quam antea expresserant Gerso vel Petrus de Alliaco. Non possumus non omnia illa adducere. « Seniores et principes nostri, ait orator, qui primum has silvas et paludes coluere, calcatis terrenis deliciis, spiritu ferventes Deo soli servire contendebant... Pulchrum erat audire illos concordi voce in ecclesia psallentes, in refectorio per summum silentium pariter convivantes, absque vero strepitu in dormitorio nunc orantes, nunc brevi se somno refoventes... Nos contra a Dei cultu ad mundanos ritus jampridem sumus delapsi. Nihil minus quam templo Dei inservire cogitamus, psalmorum taedio afficimur, gravis est nobis oratio. Canoras cum angelis in choro voces velut nutricum fescenninas aestimamus. Corpore stantes vel incurvi hinc oculos, illinc mentem habemus... Vivimus animis discordibus : hic forum, ille mercaturam, hic publicos populi conventus et venatorias

1. *Ibid.*
2. *Ibid.*, fol. 37 v°-38 r°.
3. *Ibid.*, fol. 38 r°.

indagationes, ille aliud quid turpius quod nolim dicere consectatur... Age vero quam sobrios dum cibum capiunt, quam silentes et pudicos in cellis, quam trepidos et humiles fratres nostros esse dicemus? Illorum crapulam atque ingluviem dicere, memorare clamores et petulantiam, temeritatem atque inverecundiam repetere refugit oratio. Atqui nullus est locus qui apud nos sanctior habeatur. Passim cachinnantes, passim susurrantes, immovero vociferantes instar vilissimorum hominum nos videbis. Pro observatione contumaciam, pro obedientia repugnantiam, pro honestate turpiloquium nostra conversatio suscepit... Et ita scientes, volentes perimus... Domus nostrae desertae prope sine habitatore corruerunt. Majoribus in locis, in quibus frequentiores fratres esse oporteret, vel rari sunt vel nulli[1]. »

Quibus multis malis remedium est unum, Ordini scilicet praeficere ministrum qui fortitudine, constantia animique virtutibus prava cohibeat et officium a Radulfo susceptum sed morte impeditum perficiat. « Quaerendus est pastor qui moneat, dirigat, impellat, cogat fratres, quem audiant, quem sequantur... Dispensatoris hi mores esse debent: benignitas, clementia, sapientia, caritas, zelus et praesertim fervor disciplinae[2]. » Non igitur est quaerendus pastor ex his in Ordine multis qui « timidi, velut aniculae vecordes ad focum cineres delitescunt[3] », neque ex venationis amatoribus, qui « sylvis noti » tempus in feras insequendo terunt, neque ex iis gulae deditis. Tam grave officium ministro imminet ut electum fratrem tanto munere dignum esse oporteat. Perorando denique obsecrat Gaguinus fratres ut salutem suam meditentur et mature secum quem eligant reputent, unde fortasse pendet Ordinis fortuna.

Cujus orationis maximum praemium oratori tribuit conci

1. *Ibid.*, fol. 39 r°-40 r°.
2. *Ibid.*, fol. 40 r° et v°.
3. *Ibid.*, fol. 41 r°.

lium, ipso Gaguino ad Ministri Generalis honorem provecto. Sic fratres tacite pronuntiabant solum illum iis virtutibus et meritis ornatum videri, quae illis praesertim temporibus tali officio decerent, et hujus imaginis ipsum exemplar esse quam eorum oculis proposuisset[1].

1. Cf.: Toussaint-Duplessis, *Histoire de l'Église de Meaux*, t. I, p. 187.

CAPUT SECUNDUM.

DE ROBERTO GAGUINO MATHURINORUM GENERALI MINISTRO ET REGIS FRANCORUM LEGATO.

1473-1477.

Vix electus, cum rebus plurimis, quarum memoria nobis prodita est, Gaguinus ministravit, tum in primis Mathurinorum templum ac monasterium Lutetiae ex parte reficit atque munivit. Quae Bulaeus quidem, in « Historia Universitatis Parisiensis », falso tradit anno 1470 facta fuisse[1]; sed Bulaeus ipse fatetur, atque etiam ex oratione a Gaguino his temporibus habita patet, illum prius ordinis Generalem Ministrum creatum fuisse, quod anno 1473 evenisse vidimus. Repugnat igitur illam refectionem anno 1470 tribui; convenit contra post annum 1473 factam fuisse. Carolus Jourdain, in « Indice Chartarum Universitatis parisiensis », Bulaeum sequitur[2]; Crevier autem, qui in sua « Histoire de l'Université[3] » haec anno 1472 refert, Bulaeum prave imitatus esse videtur.

Universitatem in Mathurinorum monasterio conventus suos et sacras caerimonias jamdiu celebrare supra diximus. Cum autem majora quam pro ordinis opibus Gaguinus moliretur, statuit sibi ab Universitate impetrandum, ut munitionis hujus ac refectionis sit particeps. Nonne enim aequum

1. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 695.
2. C. Jourdain, *Index Chartarum Universitatis Parisiensis*, p. 295.
3. Crévier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 346-347.

erat Universitatem tot annos ab Ordine tam liberaliter acceptam reficiendi ejus templi impensas sustinere ?

Quae ad explicanda et defendenda adversus singulos Almae Matris ordines conatus est Gaguinus, in orationibus quarum exstat una in sacrae theologiae doctorum collegio habita.

Ex illa oratione discimus primum Gaguinum nuper ac statim post se electum templo jamjam labenti munimentis succurrisse. « Cum enim, inquit, administrationis ejus ordinis accepi curam, sive seorsum versus, sive deorsum quis aspectabat, nihil praeter infractas tegulas et prolabentia tecta, nihil praeter squalidos parietes licebat offendere. Mea cura tamen instaurata sunt multa et fratres mei ordinis religiosiores et domus ipsa paulo effecta est ornatior[1]. » Gaguino primum annum ministrante (1473-1474), templum sic in tempus munitum fuisse e quodam orationis loco constare videtur. Templum vero sic ad tempus instauratum agitur nunc ut quasi ex integro reficiatur; quam ob rem Mathurini Universitatis subsidia petunt. « Si enim, inquit orator, cuiquam ex Parisiensi schola domus haec dispateat, divini atque magnifici Doctores, in usus certe vestros et sacrosanctae vestrae Facultatis una nobiscum maxime communis est. Hic conventus omnes, hic gravissima vestra concilia, hic preces et rem divinam ex communi patrum instituto habetis semper et facitis. Ita fit ut et vetustissimo usu et inhabitandi consuetudine vobis hic locus, vobis inquam, peculiaris habeatur et vester ab exteris magis quam noster reputetur[2]. » Galliae Normanniaeque Nationes jamjam sese liberales ostenderunt, ad opus conficiendum una duodeviginti aurea scuta, altera triginta addicentes. Tale exemplum non sequetur sacrae Theologiae Facultas ? Quid ? Nonne eos pudet Facultates congregatas sedere « in adeo

1. Ad doctores theologos pro instauranda divi Mathurini ecclesia Roberti Gaguini oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 6 r°.)

2. *Ibid.*, fol. 6 r° et v°.

perobscuro, muscoso fuliginosoque loco[1] »? « Ex quamplurimis hominibus, exclamat Gaguinus, qui hanc in urbem frequenter adveniunt, est fere nemo qui non Mathurinorum aedes primum ardeat intueri. Cur ita? An forte quod decem hunc locum fraterculi possideant? Trahit eos profecto magis Universitatis per orbem diffusa authoritas[2]. » Sciunt Universitatem apud Mathurinos sententias dicere, edicta decretaque sua promulgare, supplicationes Deo facere et « ita existimant Mathurinos Universitati curae esse, quemadmodum Atheniensibus Areopagum fuisse legunt... Verum si quis ecclesiae fenestras vel gypso praestructas, vel tenebrescente vitro subfuscas videt, si quis non modo nudos et vacuos decoramentis sed pulverulentos et obsoletos nimia vetustate muros scrutatur, conjecturam facit neglectae et spretae habitationis Universitatis... abitque offensus tenuitate et incuria publicarum aedium... Igitur cum situm et mucorem, cum squalores, cum hiantes rimas, cum casus atque fortunas hujus vestri collegii animo volveritis, cum meas curas et sollicitudines, cum vel ad recte instituendos fratres, vel ad erigenda quae procumbunt moenia, meam vigilantiam cogitaveritis, tandem, magnifici patres, reputate vobiscum qui estis, qua dignitate, quo gradu, qua sublimitate vester hic status, cum Nationibus, tum reliquis Facultatibus antecellit... et vos, verae sapientiae professores, vos omnium virtutum laudatores nolite oblivisci largitatis[3]. »

Nempe haud facile erat talibus objurgationibus non obsequi, talibus laudibus non moveri. Putandum est igitur Gaguinum petita obtinuisse et theologiae Facultatis doctores non minus quam Galliam Normanniamque fuisse liberales. Constat vero Gaguinum nostrum concupita adipisci potuisse et hanc aedificii refectionem perfecisse. In litteris enim quibusdam Xantonensi episcopo[4] missis se vota conse-

1. *Ibid.*, fol. 6 v°.
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*, fol. 7 r° et v°.
4. L. de Rochechouart. Cf.: Couderc, *Journal de voyage à Jérusalem*

cutum esse, haud quidem sine aliqua superbia narrat atque Deo apud Mathurinos sacrum esse dignum. « Cum esset, ait, paulo supra hos dies ecclesia nostra, ut ipse nosti, squalidior et ligneis sacellis impedita, ita eam curavi, ut divinae alicujus aedis et templi decorem acceperit[1]. »

Interea tamen cum ob fortitudinem, doctrinam, eloquentiamque Mathurinorum Generalis Minister maxime conspici coeptus esset, majora mox, res publicas scilicet, aggressus est. Anno 1476 illum reperimus auctoritate publica designatum ut Portugallorum regem, Lutetiam intrantem, composito sermone exciperet.

Tunc vero Alfonsus, Portugallorum rex, strenue atque atrociter cum Ferdinando Aragonensi rege dimicabat de imperio in Castella constituto, quod, mortuo rege Henrico quarto, caducum erat. A bello incipiente Galliam speravit, ut Aragoniam jamjam in dies crescentem cohiberet, sibi subsidia esse suppeditaturam. Qua in cogitatione, Ludovico undecimo legatos miserat qui opes postularent[2].

Mox autem Alfonsus in Galliam ipse venerat eadem iterum rogaturus quae a legatis rogata fuerant; quibus, etsi laetabatur amicitia nationis adhuc cum Anglia conjunctissima societate connexa, Ludovicus obsequi non poterat. Flagrante enim adversus Carolum Temerarium bello, minime oportebat, regni sui fortuna in incerto relicta, in Hispaniam bellum inferre dubium. Alfonso igitur impetranti postulata negavit, sed sese negantem amicissimum ostendit : hospitem enim Turonibus magnifice excepit et cum aberat, Lusitaniae regem Lutetiam intrantem splendidissime recipi jussit[3].

Intrantem igitur regem Gaguinus adlocutus est. Carolus

de L. de Rochechouart, évêque de Saintes, p. 39. (*Revue de l'Orient latin*, t. I, 1893.)

1. Robertus Gaguinus Ludovico Xantonensi episcopo. (*Epistolae et orationes*, fol. 15 v°.)
2. U. Legeay, *Histoire de Louis XI*, t. II, p. 225.
3. *Ibid.*, p. 226.

de Gaucourt, Regis in urbe Praefectus, cum neminem inveniens qui regem salutare eloquentius posset, tum Sanctae Trinitatis ordinem sciens in Lusitania florere et a regibus singulariter diligi, ut ex ipsius Gaguini epistulis apparet, quibus constat qua benevolentia brevi tempore saepe inter se usi fuissent Ordinis Ministri generales ac Lusitaniae reges, neminem duxit his temporibus tutoris sui Ordinis adloquendi honore digniorem esse[1].

Gaguinus autem nec munere nec spe inferior est visus : orationem quam dignam esse duxit quae posteris traderetur, non brevi, ut cogimur, referre decet. Verba inivit mira laudatione (qua historiam scripturus esse praevidetur) clarorum virorum Lusitaniae regibus sanguine proximorum, atque in primis Alfonsi Bravi. Principem deinde tunc regnantem majoribus suis haud esse indignum declarat. « Tu rex ex regibus ortus, inquit, regis nomen et meritum adeptus es..... Quis enim te non splendidum..... meritoque praedicandum regem dicat, cuius gesta miratur orbis christianus? Tua virtus victorem exercitum in Africa semel atque iterum reduxit. Tua virtus validissimas urbes Salvatori Christo subjugavit, obtrivit inimicum nomen Mahumeti, vexillum nostrae redemptionis erexit[2]. » Maxima igitur laetitia Galli Alfonsum excipiunt et quod tanti christianissimi Regis amicitiam habet sibi gratulantur. Mirum quidem spectaculum praebent Gallia Lusitaniaque super Pyrenaeos montes dextras jungentes. Et perorando patriae splendorem, ut gratum habet, celebrans, unamquamque nationem altera esse dignam declarat, Galliam ipsam merito rebus a se gestis gloriari, et claros quoque viros genuisse, quos Alfonso Bravo conferre liceat.

Qua ex oratione, gravium temporum causa in quibus habita, et eloquentiae gratia, quam ostendebat, Mathurinorum Minister nonnullam sane consecutus est famam. Quo modo

1. Crévier, *op. cit.*, t. IV, p. 377-378.
2. Ad Alfonsum regem Portugalliæ dum Parisiis ageret Roberti Gaguini oratio, 1476. (*Epistolae et orationes*, fol. 41 v° et 42 r°.)

secus non miremini Ludovicum undecimum ipsum postero anno alterum gratiae testimonium Gaguino dedisse. Hoc enim anno 1477 legatus in Germaniam profectus est, impediturus ne Maximilianus, Frederici tertii imperatoris filius, Mariam, Burgundiae Ducissam, uxorem duceret. Quasi praesentiret quanta nobis ex hac Burgundiae et Austriae conjunctione, unde Caroli Quinti oritura esset potentia, mala futura essent, Ludovicus undecimus Carolo Temerario, Mariae patre, defuncto, se totum ad matrimonium illud impediendum contulerat. Eo auctore, Ludovicus de Borbonio, Legionensis episcopus, gallicas res in Consilio Flandriae fortiter defenderat, spe Mariae familiares alliciendi ut ipsi Mariam cum Carolo gallico Dalphino nubere convincant. Frustra vero objurgaverat episcopus Concilium inimicum, obstante praeterea matre Ducissa[1]. Tum ad Germaniam spectaverat Ludovicus XI et Henricum Hisbuchum, nobili loco in Germania natum sed in Francia educatum, Argentoratum miserat, specie visendorum parentum, revera ut sciret quae ab Austriae aula cogitarentur atque num a societate cum Burgundia Imperator averti posset. Brevi Hisbuchus notum fecerat Flandriae principes negotiari cum Maximiliano et Frederico Imperatore, tunc Francfurtum ituris, ubi cum Mariae Ducissae legatis de foederis conditionibus convenirent[2].

Tunc Ludovicus in Germaniam proficisci jussit Gaguinum, qui primum quos inter Germanicos principes Austria Burgundiaque tenerent, quos vero Gallia occupare posset, investigaret; deinde in conventu Francfurti congregato Mariam sub regis imperio natura esse collocatam, regi ipsi propinquitate conjunctam exponeret; in Gallia autem principes sive viros, sive mulieres, invito rege, matrimonio jungi non solere; Mariae igitur his moribus serviendum, Imperatori vero confirmatas publica auctoritate leges non

1. Legeay, *Histoire de Louis XI*, t. II, p. 289.
2. D. Plancher, *Histoire de Bourgogne*, t. IV, p. 484.

violandas; denique Imperatorem hortaret ne quicquam facere vellet ex quo bellum Galliae cum Germania oriretur. Omnia, ut breviter dicam, quae in Flandriae Consilio tentaverat Legionensis episcopus, eadem Francfurti Mathurinorum ministro perficienda erant[1].

In Compendio suo de rebus et gestis Francorum nobis Gaguinus legationem suam satis copiose narrat, ut eum iter facientem sequi possimus. Argentoratum primum ingressus, Hisbuchum assecutus est quocum Francfurtum peteret. Sed illis sex dies quae interea gererentur exquisitis, tandem allatum est nullum fore Francfurti concilium, omnibus ita placere matrimonium ut ne deliberare quidem oporteret et Maximilianum secundo Rheno flumine ad Flandriam et uxorem devehi. Etsi infelicissimis, ut videtur, auspiciis negotium aggrediebantur et minime sperabant sese Maximilianum esse superaturos, non tamen animo defecerunt. Extemplo ad Maguntiam iter faciunt, quo Maximilianus mox intraturus est. Suprema periclitari volunt apud Germanicos principes, Archiducis comites, atque iterum conari huic Burgundiae et Austriae pactioni obstare. Illis vero Maguntiam pervectis nuntiatur Maximilianum non constitisse sed festinanter admodum ad Coloniam viam pergere. Sine mora Hisbuchus et Gaguinus denuo se viae committunt et Coloniam prope simul atque Archidux ingrediuntur. Ibi vero percipiunt jam nunc frustra sese conaturos, Maximiliani familiaribus domini consulta una voce comprobantibus. Viginti dies legati cum Principis necessariis colloquium instituere nequicquam contendunt : ambo precantes fere omnino eluduntur, ab uno vero, Juliaci Duce, excipiuntur, sed ut audiant se tardiores venisse, Ducem enim Maximiliano sese dedisse, quod nunc negare turpissimum foret, denique Francorum legatos non tute diutius in Germania moraturos.

Quae cum ita expresse essent declarata, restabat legatis ut abscederent; eadem die quo Maximilianus abiit, Flan-

1. *Ibid.*

driam, ubi nuptias celebraret, petiturus, Colonia egressi sunt, in Galliam redituri ubi Regi infelicis legationis rationem referrent[1].

Gaguini litteris ad Guillelmum de Rupeforti, Franciae cancellarium, scriptis, nobis est traditum quomodo legatos exceperit Ludovicus, stolide quidem et injuste, nam quid accidisset praesentiri poterat, nec meliora egissent prudentiores. Hae Gaguini litterae totae legendae sunt. « Digrediens a tua praestantia nudius quartus, scribit cancellario, regem conveni, vix cubiculo egressum. Rogavi vellet quae de germana legatione reliqua erant me referre. Is, cum antea inter cubicularios lepide nonnulla locutus esset, ad meam rogationem conticuit, visusque est paululum subtristari. Nullum enim verbum respondit. Sed mox humi prostratus pro suo more oravit atque confestim ad Caelestinorum aedem profectus est. Itaque veritus sum offensum eum esse, quasi minus opportune advenissem. Nec minus praesentis curiae mores sum miratus, quae missos in rem seriam oratores non curet audire reversos, quasi pluris sit de re gerenda edoctos legasse quam rerum ab eis gestarum cognoscere rationem. Ab eo die domum adveniens, decubui cruciatus articulari morbo qui michi ad salarium meorum omnium laborum videtur esse comparatus. Sint alii curiales quibus fortuna amica est. Curae supersatis habeo mei Ordinis rebus ministrare[2]. »

Labores igitur, morbum et Regis inimicitiam ex legatione Gaguinus in fructum receperat; nec Ludovico unquam ignovisse videtur, nam usque ad ejusdem mortem a publicis rebus abstinuit. Curas omnes suas studiumque sex annos Ordinis et Universitatis rebus gerendis unice dedit. Nus-

1. Roberti Gaguini *Compendium de origine et gestis Francorum*, fol. 157 r° et v°. — Cf.: Legeay, *op. cit.*, t. II, p. 290-292 ; D. Plancher, *loc. cit.*

2. Robertus Gaguinus Guillelmo de Rupeforti Cancellario. (*Epistolae et orationes*, fol. 59 r°.)

quam saltem res publicas eum denuo agressum fuisse usque ad annum 1484 videmus.

Jam exeunte anno 1477 illum corrigendi sui Ordinis cogitationem agentem invenimus. E quodam orationis loco, jam a nobis supra laudato, quo gloriatur « suis curis fratres suos religiosiores factos esse » potest inferri illum Ordini suo primum annum ministrantem operam dedisse ut licentia corruptelaque, qua foedabatur Mathurinorum ordo, extolleretur. Ambitione, suae gloriae cura et publicarum rerum gerendarum cupiditate motus, alia petiverat in tempus; sed postquam humanis fastigiis fastidivit, noluit, ut ipse Guillelmo de Rupeforti scribebat, aliis praeter quam Mathurinorum minister esse; litterae quoque pervenerunt, augusto mense anni 1477 inscriptae, quibus constat eum illo tempore in proposito permanere, nec quicquam aliud praeter pastoris officia curare. Ad solos in Castellae Provincia sedentes Mathurinos hae litterae fuisse missae e codicibus videntur[1]; sed est credibile ad plures eas pertinuisse et omnibus Ordinis ministris fuisse missas. In illis statuit Gaguinus quas unaquaque in provincia sequi deceat regulas, postquam provincialis pater munere aut vita defunctus est et quibus legibus ac cogitationibus is eligendus sit qui defuncti locum occupet. Ambitus et tumultus, qui in provinciis Provinciales eligendi causa effici solent, ne eveniant, jubet Gaguinus prius omnem Provincialem quam totos quattuor annos exerceat « diligenter studere locum assignare electioni futuri provincialis et ad illum rite ministros omnes suae provinciae citare atque convocare; in qua electione non ipse sed vicinior sibi et propinquior conventualis

1. « Frater Robertus Gaguinus major minister totius ordinis Sanctæ Trinitatis et redemptionis captivorum universis et singulis ministris nostri praedicti ordinis per provinciam Castellae constitutis ..... salutem. » Die xxv[a] mensis Augusti, 1476. (Hae litterae continentur in codice in bibliotheca Mazarinea asservato et numero 1766 notato, cui titulus inscribitur : *Variae et vetustae Ordinis Sanctae Trinitatis de redemptione captivorum constitutiones vigentes tum in Gallia, cum in provinciis pluribus Hispaniae*.

Minister praesideat, qui custodiam Provinciae obtineat, procuretque diligenter hujusmodi electionem fieri et compleri[1] ». Si vero subito interit Provincialis, non minus stricte statutum est. Ordinat enim Gaguinus « ut postquam Provincialis, qui rite electus et confirmatus, debitum naturae persolverit et demigraverit e terris, corpusque ejus religiose fuerit inhumatum, Minister in cujus administratione ipse Provincialis decesserit, si Conventualis sit, Provinciam in suam custodiam recipiat ipso facto et omnes totius provinciae Ministros ad capitulum ubi futurus Provincialis eligi possit advocet et congreget, nulla interposita dilatione[2] ». Cum itaque nullo tempore provinciae pastoribus vacabunt, tum electiones quam maxime ad normam et securae erunt.

Quae etsi primo adspectu ad pauca, exordii tamen verbis quibusdam ad plurima spectare videntur. Non potest dubitari quin ad multa a Gaguino vel scripta vel acta pertineant, quibus in melius vel virtute vel opibus venturum esse Sanctae Trinitatis ordinem sperabat. Mandati enim initio Gaguinus studium commemorat suum, quo impulsus toties de salute fratrum occupatus sit, et paternam vigilantiam, qua eorumdem commoda curaverit; quod nimium sincere declaratur ut rhetoricae florem et artificium esse putemus[3]. Illo sane tempore Gaguinus curas omnes et studia dabat ad summum suum munus exercendum; quod si hoc uno monumento primae curae et labores confirmantur, videbimus contra ad reformanda instituta, melioresque faciendos Ordinis mores, Gaguinum ad extremum diem constanter conatum fuisse.

1. *Variae et vetustae ... constitutiones*, fol. 58 v°.
2. *Ibid.*, fol. 58 r° et v°.
3. *Ibid.*, fol. 58 r°.

CAPUT TERTIUM.

DE ROBERTO GAGUINO AD UNIVERSITATEM AGGREGATO ET DIGNITATIBUS EJUS EMINENTI.

1481-1484.

Ab anno 1477 usque ad annum 1481 de Roberto Gaguino nihil est proditum ; ab anno autem 1481 ad annum 1484 in Universitate tantum apparet tanquam aggregatus et dignitatibus ornatus, nec raro quidem ; nam per hos quattuor annos Universitatis rebus ac vitae conjunctissime fuit alligatus.

Postquam a Germania redierat, non potest dubitari quin revera aliquid imminutum fuisset de Gaguini conjunctione cum rege Ludovico, quem scimus ministro facilius ignoscere solitum perfido quam infelici. Epistularum autem gratia nobis contendere licet Mathurinorum ministrum inter curiales magnas amicitias et valentes, Cardinalis de Borbonio[1] scilicet, Guillelmi de Rupeforti cancellarii[2], Petri Dorioli[3], Johannis Driesci[4], Georgii Havardi[5], multorumque aliorum sibi servavisse. Quibus necessitudinibus fretus Gaguinus gravitate, notitia atque auctoritate ita valebat ut ab anno 1481 ad annum 1484 primas partes in Universitate gerenda agere potuerit. In contentionibus enim inter regem et Uni-

1. Charles de Bourbon, Lugdunensis Archiepiscopus. († 1488.)
2. Guillaume de Rochefort, Cancellarius. († 1492.)
3. Pierre Doriole, Franciae cancellarius. († 1485.)
4. Jean de la Driesche, rationum regiarum computori.
5. Georges Havard, regiarum supplicationum auditor.

versitatem coortis, nonnunquam sibi gavisa est Alma Mater se ad Ministri Generalis auctoritatem confugere, per quam praestantis alicujus viri favorem obtineret; multis vero in solemniis sive munerum sive famae causa electus fuit Gaguinus qui Universitatis nomine verba faceret.

Primum nempe anno 1481 a collegis mandatus invenitur, ut Urbem intrantem episcopum Massiliensem, a rege nuper Lutetiae praefectum alloqueretur. Cui officio praepositus Carolus de Gaucourt modo interierat et vehementer desiderabatur ab Universitate, cujus semper studiosissimus exstiterat patronus ac defensor. Quae vero censeret praefectus alter nesciebant Doctores. Ejus igitur animum quam brevissime occupare cupientes, Gaguino officium illud imposuerunt[1]; nec fuit cur de lecto oratore quererentur. Cum enim in episcopo laudando solertissimus, tum in Universitate extollenda ita callidus exstitit orator, ut audientem Almae Parentis observantissimum, ut videtur, fecerit nec ullius privilegii violandi cupidum.

Exordio memorat quam egregie peritum sese ostenderit esse episcopus, dum Provinciae a Renato, Siciliae rege, praefectus esset; sibi deinde et Universitati et Lutetiae gratulatur quod talem virum rex elegerit. « Non frustra, magnificentissime pontifex, ait Gaguinus, sapientissimus Rex magnam de tua virtute spem accepit, qui memoria tenet quantus apud Renatum Siciliae regem exstitisti, quanta benignitate et modestia, quanta amplitudine et majestate quadam principandi Provinciam fueris longo tempore moderatus. Ita enim apud Provinciales tum statutis et bonarum legum institutione, tum modesta tributorum dispensatione praefuisti, ut nullum illic municipium, oppidum nullum, nullaque civitas te patronum et patrem suum non appellet[2]. » Una vero nunc superest laus tot ac tantis laudibus adjicienda,

1. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 741. — Crévier, *op. cit.*, t. IV, p. 394-395.
2. Ad episcopum Massiliensem Roberti Gaguini oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 36 r°.)

ut Pisistratum, Ptolemaeum Philadelphum et Carolum Magnum imitatus, litteratis atque doctis viris, id est Universitati, faveat. Nam si illustrem hanc Parentem defensandam suscipiet pontifex, Francorum pariter imperium et religionem catholicam tutabitur et in ea re procuranda nihil est quod ad suam gloriam majus adjicere possit. « Alumnis et sapientiae professoribus adsis igitur tutor, exclamat orator, adsis pater, adsis pontifex cujus officio maxime congruit Clerum dirigere et in Clero litterarum et prudentiae sectatores imprimis honoratos habere; et sic huic voto piae Universitatis assenserit tua benignitas, ea tibi se offert inexpugnabilem murum adversus tuae dignitatis inimicos, ea se apud Deum patronam tuae salutis constituit et in rem tuam quidquid consilii habet se impensuram magno animo vovet et totis praecordiis profitetur[1]. »

Credibile est, ut asserit Bulaeus, hanc orationem dictam a Gaguino fuisse 18 aut 19 julii, nam 20 habita sunt comitia Mathurinensia, in quibus ipse retulit quam benigne excepta fuisset Universitas ab episcopo praedicto; quamobrem illi ab omnibus ordinibus actae sunt gratiae[2].

Postero anno 1482, Gaguinus ipse potuit quo esset animo episcopus percipere. Illo enim anno res maxime adversae fuerunt; ita frigidum fuit aer ut per sex hebdomadas Sequana glacie duratus non solvi coeptus sit; fructibus acerbe passis et vineis gelatis, acre frigus secuta est omnium rerum inopia. Lutetiae vero praefectus, ut communem calamitatem levandam caveret, in palatio concilium habuit ad quod Universitatis legatos, quorum fuit Gaguinus, vocavit. Per hujus eloquentiam conjunctiores inter se facti sunt regis Praefectus et Universitas. Miseria enim inopiaque concitati, nonnulli seditiosi homines in diversis urbis regionibus libellos proscripserant quibus viros et rem publicam gerentes et mercaturas in primis facientes insectabantur; quorum fla-

1. *Ibid.*, fol. 37 r°.
2. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 743,

gitiorum insimulabantur Universitatis suppositi; verum ne hoc censeret a Massiliensi episcopo interrogatus est Gaguinus. Expedite vero hic a discipulis culpam amovit ac nullo negotio crimen diluit in juventutem intentum. Contendit enim istam protervitatem infimae et esurientis plebis esse potius quam illius juventutis virtute doctrinaque imbutae, atque libellos ab Universitatis alumnis non solum non factos, sed etiam ne cogitatos quidem fuisse habendos. Noluit in his molestis rebus commorari episcopus, sed Universitatem monitam esse voluit ut discipulos, si qui essent in culpa, dura poena afficeret ac saltem ut adolescentes suos in ordinis ac bonae disciplinae cultu servandos caveret. Quod Gaguinus polliceri se juvare jactavit. De reliquo maxima cum reverentia Universitatem habuit episcopus et legatos ab ea mitti jussit in concilia, ubi de rebus publicis et de remediis ad calamitatem annectendis consuleretur[1]. Intercedente igitur Gaguino, turpibus criminibus purgabatur Universitas et de contentione, ex qua oriri possent perturbationes maxime calamitosae sese expediebat.

Haud tamen dubium est illo tempore jam nunc Universitatem antiqua fama et auctoritate senescere coepisse. Quam etsi tam fortiter ac diserte defendit, Gaguinum tamen non fugiebant novi mores quibus uti coeperant discipuli, nec licentia quae in dies major fiebat. Ambrosio enim Cambrayo scribit: « Omnis cum legibus modestia, pudor, reverentia ex nostro studio excessit, majorque est in dies atque efferatior temeritas, audacia et improbitas[2]. » Praesertim cum ad suffragia iretur, maximi oriebantur tumultus candidatique turpissima ausi videbantur. Jam anno 1481 Eligii de Vaugermes rectoris subrogandi causa, Gaguino licuerat minime decora conspici[3], et de tumultibus qui in electione novi

1. Crévier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 402-403.
2. Robertus Gaguinus Ambrosio Cambrayo. (*Epistolae et orationes*, fol. 34 v° et 35 r°.)
3. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 743-745. — Crévier, *op. cit.*, t. IV, p. 395-397.

Rectoris contigerunt haec scribebat ad Joannem Driescum, rationum regiarum magistrum : « Nonnunquam me, aiebat, scholasticorum clamores et juges rixae contristant ; a quibus orta est in deligendo postremo Rectore gravior longe quam olim visa est contentio, aliis in alios nunc conviciis, nunc contumeliis atrociter pugnantibus non aliter ac aleciarias et piscatrices aiunt sese criminari et feros interdum ungues involvere in capillos. Nec prius triduo toto discessum est, quam biceps Universitas nostra facta est. Itaque pro uno duos Rectores, imo vero sectores habet, alterum Francum, Picardum alterum[1]. »

Praecipue vero cum de Ambrosio Cambrayo actum fuit tristissimi patuerunt mores et magistrorum et discipulorum ; nec Gaguino defuit cur Universitatem abjectam corruptamque deploraret. Septembri enim mense 1482 anni, cum Dionysius Citharoedus, Parisiensis ecclesiae cancellarius, defunctus esset et a Lutetiae episcopo subrogatus esset Ambrosius Cambrayus, juris doctor ac professor, se injuria affici putavit Theologiae Facultas, nam Cancellarii dignitatem nullo nisi inter doctores suos electo gerendam esse contendebat. Johannes Hüe igitur, decanus, jussus est a Theologiae Facultate negare Ambrosium jure electum fuisse et primum ad metropolitam Senonensem Archiepiscopum appellare, — hoc vero litem resolvere negante, — ad Cardinalem de Borbonio Lugdunensem Archiepiscopum confugere, qui, primaria sua potestate usus, Ambrosii nominationem antiquaret et abrogaret et ipse etiam, vacante dignitate, alterum designaret. Quas actiones vi augentes theologi nonnullos suos discipulos miserunt non ad Ambrosium, quem cancellarium esse negarent, sed ad Theologiae Doctores, qui bitterationem, id est pilei doctoris impositionem fecerunt ; quamobrem inter Ambrosii et Johannes Hüe partes acerrime pugnatum est[2].

1. R. Gaguinus Johanni Driesco. (*Epistolae et orationes*, fol. 23 v°.)
2. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p 749. — Crévier, *op. cit.*, t. IV, p. 405-407.

Tum ad Universitatem questus, non neglectus est Ambrosius; sed ejus partes amplexa Universitas, cum ad Parlamentum litem detulit, tum ne cardinalis de Borbonio suaderetur ut alterum nominaret, unde turba et negotium majora fuissent, verita, Gaguini auctoritate apud Cardinalem valente uti statuit, ut Universitatis causam susciperet. Gaguinus autem, utpote doctor ac professor canonici juris, non poterat collegae suo non consulere; imo etiam collegam illum necessitudine sibi conjunctum habebat, ut multis epistulis ad eum scriptis nobisque traditis refertur.

Tum a Gaguino habitam orationem breviter exponere oportet. Exordio pacem ac concordiam postulat, Cardinalem deinde adloquitur. « Si quantum expedit humanae societati, inquit, tantum homines pacem expeterent et amarent charitatem, Urbes, reverendissime Pater, et Respublicae multo quietissime regerentur; esset enim civium inter se mutua dilectio, esset subditorum ad suos rectores fides et subjectio non repugnans; neque sancta nostra Parens Universitas a suis vehementer oppugnata vestram nunc benignitatem et summam dignitatem ulla inquietudine vexaret[1]. » Mox ipsa contentione adepta, Gaguinus quam immoderata affectet Theologiae Facultas ostendit, quae, ceteris Facultatibus exclusis, summum in Universitate munus sibi uni servare cupiat. « Non derogo, magnificentissime Pater, exclamat orator, neque detraho majestati theologicae disciplinae, sed quia membrum est Theologus corporis nostri mystici, illeque cum ceteris bonarum artium scholasticis studium unum constituit, nego hujusmodi hominem per omnia, omni in loco, atque omni tempore, ceteris praetermissis debere principari[2]. » Quae nihilo freti theologi audentius vindicant. Etsi acrius altiusque ceteris

1. Pro Universitate Studii parisiensis contra quosdam theologos in causa cancellariatus ad reverendissimum patrem et generosissimum patrem dominum Carolum de Borbonio Cardinalem Roberti Gaguini brevis oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 18 r°.)

2. *Ibid.*, fol, 18 v°.

philosophiam colunt, ob ipsa tamen studia in contemplatione unice posita non ad res gerendas apti esse possunt. « Quod si quis prudenter aestimabit et pensitabit hominum industriam et mores, multo plurimas a jureconsultis res quam a theologis bene administratas comperiet ; et propterea juste contenditur inter ceterarum doctrinarum studiosos facile deligi posse prudentes eosdemque doctissimos qui plerisque theologis antecellant[1]. » Unum quidem, si prisca repetes, exstitisse Cancellarium extra Theologiae Facultatem electum invenies. Talia vero casu evenerunt, nam nihil est quod monumentum afferre possis quo sic statutum sit. Qua de controversia Parisiensi episcopo et post hunc Senonensi metropolitae, denique super ambos Lugdunensi primato judicium et arbitrium facere licet ; quibus eminentissimis antistibus, judicio eorum neglecto, injuriam Theologi inferunt, haud secus ac Regis majestati, « quae, privilegio Regaliae, beneficia, ecclesiarumque dignitates per sedis vacationem consuevit dispartiri[2] ». Sic ad suas partes alligatis omnibus qui in re publica gerenda cum potestate erant, in epilogo Gaguinus pro Universitate Cardinalem obsecrat ne animo deficiat, et juris Facultatem inique excludat ab honore quo non minus quam ceterae digna videatur.

Theologi interea non agere destiterunt et omni modo ne ad Parlamentum deferretur causa contenderunt[3]. Sed dum publice apud Cardinalem de Borbonio Gaguinus operam navabat, familiarem quoque suum, Guillelmum de Rupeforti Cancellarium erga Universitatem benevolum faciebat, atque jam tunc se devictos esse putare Theologi potuerunt[4]. Valuerunt enim Gaguini argumenta apud Guillelmum de

1. *Ibid.*, fol. 18 v° et 19 r°.
2. *Ibid.*, fol. 19 r°.
3. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 752. — Crévier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 408-409.
4. Guillelmo de Rupeforti Cancellario Franciae studii Parisiensis Universitas. (*Epistolae et orationes*, fol. 28 r° et v°.)

Rupeforti ; quo interposito, causam retinuit Parlamentum et victurum esse Gaguinum existimari licuit.

Vidimus quantas gesserit partes Mathurinorum minister in illa de Cancellariatu parisiensi lite : non est enim dubitandum quin, nisi consuetudinibus ejus et amicis uti potuissent, Universitas et Ambrosius Cambrayus nunquam devicissent. Itaque postquam pro certo habitum fuit causam ad Parlamentum esse deferendam, Gaguinus ab Universitate mandatus est qui Guillelmo de Rupeforti gratias ageret. « Die octava augusti congregata fuit apud sanctum Mathurinum alma Parisiensis Universitas duobus super articulis. Primum fuit super electione oratoris, seu proponentis, qui haberet adire D. Cancellarium Franciae, qui noviter ad villam Parisiensem venit et sibi proponere et ostendere privilegia Universitatis et sibi speciallissime regraciare propter hoc quod causam magistri Ambrosii Cambrayi, Cancellarii parisiensis, quae per Theologos fuit evocata ad Magnum Concilium, justius in Parlamento fecit remittere... Unanimi vero omnium calculo delectus est in oratorem Magistrum Robertum Gaguinum[1]. »

Bifariam Gaguini oratio distributa est: priore in tota parte gratiae ab Universitate Guillelmo aguntur qui pacem et tranquillitatem, studiis necessaria, restituerit; in altera vero Gaguinus Cancellarium orat ut opus perficiat. Multa enim supersunt corrigenda emendandaque ut Universitas in priscum splendorem restituatur. Non gratias solum sed preces etiam agit Gaguinus, Universitatis ut privilegia serventur et praesertim suppositi ad Ecclesiae beneficia constanter designentur. In illis beneficiis tribuendis omnes vel discipuli vel magistri strenue decertare solebant; jam in litteris quibusdam Ficheto scriptis Gaguinum videmus vehementer deplorantem beneficia ab episcopis neque doctis neque praestantibus sed ignaris fortunaque sua indignis

1. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 757.

viris tribui[1]. Quae Cancellario explicans Gaguinus, « nostris scholasticis, inquit, annos jam duos et viginti... vix beneficiolum sine difficillima lite assequi permissum est... Episcoporum nepotibus et ineptissimae interdum familiae ecclesiae conferuntur. Eam ob rem de duodecim scholasticorum millibus vix totidem hodie videmus centurias... et ita mutilatis privilegiis et oppressis nostri Studii libertatibus, nescio qui edaces, compotores, coquinarii, nulliusque pensi homines studiosissimos quosque impetunt, impetitos extrudunt, extrusos procul a litteris agunt[2]. »

Ut quae adeptus fuerit Gaguinus dicere non possumus, ita certiores sumus de Gaguino eumdem Guillelmum de Rupeforti anno 1484 obtestante, cum Parisiensis episcopus Universitatis suppositis vectigal imponere voluit. Gaguinum legatum fore statim jusserunt, ut Almam Parentem vindicantem precibus fulciret. Universitas causam sane obtinuit, nam septembri mense anni 1484 omnia ejus privilegia decreto retenta sunt[3].

Ab illo anno 1484 quae ad Gaguinum pertinentia in Universitatis historia per quattuor annos inventa erant multa, magis ac magis pauca fiunt. Eum quidem anno 1488 reperimus in contentione versatum inter Universitatem et regiam auctoritatem orta de hominibus illis « messagers » dictis, qui inter externos discipulos et eorum parentes ex auctoritate publica interveniebant[4]. Illo autem tempore aliis curis jam occupabatur Mathurinorum Minister; res enim publicas iterum ingressus ab anno 1484 ad annum 1492 quasi nullum videbimus exstitisse annum, in quo magna graviaque negotia ei non mandata sint.

1. Robertus Gaguinus Guillelmo Ficheto. (*Epistolae et orationes*, fol. 10 r°.)
2. Roberti Gaguini ad Guillelmum de Rupeforti oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 26 r°.)
3. Bulaeus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. V, p. 767. — Crévier, *op. cit.*, p. 415.
4. Bulaeus, t. V, p. 789-791. — Crévier, *op. cit.*, p. 443-447.

CAPUT QUARTUM.

DE ROBERTO GAGUINO SUB CAROLI OCTAVI PRINCIPATU LEGATO.

1484-1492.

Defuncto Ludovico, iterum gratissimus principi fuit Gaguinus et per annos octo (1484-1492) Mathurinorum Generali Ministro et Universitatis magistratu ex oculis subducto, inclaruit rei publicae consultor et legatus, cui rex Carolus octavus maximam fidem habebat. Quae autem fuerit causa cur Gaguinus apud Regem ita valuerit non potest explanari. Sunt quidem qui Gaguinum Caroli octavi praeceptorem fuisse contendant[1]; quod revera, ut nunc breviter dicamus, nullo certo testimonio comprobatur. Verisimilius videtur hoc cum multis aliis tum Gaguino utilitati fuisse quod illo tempore ita in Ludovici undecimi familiares impetus est factus ut ab illis subrogati fuerint quos a rebus gerendis rex mortuus amovisset.

Quae cum ita sint, e binis Gaguini litteris inferre licet jam anno 1484 de illo ipso actum esse ut Romam legaretur[2]. Cum enim Pontifici Sixto quarto obedientia a novo rege quasi a filio publice esset asserenda, hic honos, quamquam

1. Legeay, *Histoire de Louis XI*, t. II, p. 508. — Bricard, *Jean Bourré*, p. 206.

2. Robertus Gaguinus Johanni de Ambasia episcopo Albiensi. — R. Gaguinus episcopo lingonensi N. de Ambasia. (*Epistolae et orationes*, fol. 24 v°.)

ambibatur a Balua Cardinali, Pontificis in Gallia legato, qui se Francorum regis nomine domino suo hanc obedientiae testificationem afferre affectabat, Gaguino tamen mandatus fuisse videtur. Mortuo inter haec Sixto quarto dilataque igitur legatione, vicit denique Balua qui, Gaguini incommodo, mandatus fuit ut Innocentio octavo, qui Sixtum quartum in pontificali munere consecutus erat, Galliae reverentiam assereret[1].

Mox autem, reparato damno, Mathurinorum minister anno 1486 Romam cum D. de Falcone, Jacobo de Bellavalle et Johanne Amico profectus est, honestiora etiam fortasse gesturus quam nuper negata officia. Nam Pontificem pro Gallia erant rogaturi ut Renatus secundus, Lotharingiae dux, in Neapolitani regni possessionem induceretur.

Suae enim constantis amicitiae causa et utilis auxilii quod Annae de Bellojoco ad eam nobilium rebellionem, cui « Guerre Folle » impositum est nomen, reprimendam praebuerat, Renatus Lotharingiae, Renati Andegaviae ducis nepos, animo statuerat se a Francorum rege impetraturum ut publice confirmaretur regni possidendi jus, quod se ab avo excepisse existimabat. Jam anno 1483 jus suum armis exsequi tentaverat, et in Neapolim bellum instruxerat quod Ludovici morte subito fuerat intermissum[2]. Nunc autem res videbantur secundae. Ferdinandus enim Neapolitanus rex, novum Pontificem, tributo solemni negato, a se alienum fecerat; Innocentius vero a Cardinali Juliano de Roveria, qui odio in regem ardebat, incitatus, injuria acerbe infensus erat Galliamque invocaverat. Adde quod avaritia et crudelitate Ferdinandi et inhumanitate Alfonsi, ejus filii, qui, ut regni vicarius, maxima utebatur potentia, irati optimates Neapolitani deliberatum in animo habebant se servile jugum, quod imponi cupiebatur, dejicere. Omnia igitur adjumento fore Renati inceptis, nec ei auxilium esse denegandum qui rebus Galliae

1. Forgeot, *Jean Balue, cardinal d'Angers*, p. 124.
2. Delaborde, *L'expédition de Charles VIII en Italie*, p. 149-150.

gerendis praeerant putaverunt. Itaque Renato Anna de Bellojoco, ut quidem subsidia tribuit perpaucula, pecuniam scilicet haud multam et hoc permissum ut centum lanceas, quas a Rege obtinuerat, secum duceret, ita vero nihil intentatum reliquit ut pactionibus ac legationibus auxiliaretur[1]; quam ob ipsam rem Falco, Gaguinus, Jacobus de Bellavalle et Johannes Amicus in Italiam missi sunt. Illis igitur cum Romam ituris rogandus erat, Galliae regis nomine, Pontifex maximus ut Renatum Lotharingiae Neapolitano regno publice donaret, tum Florentiae moraturis ad principem Andegavensem adjuvandum Florentini erant adducendi[2]. Incertum enim erat quid facturi essent: partibus vero validae hujus Medicoeorum familiae potentia firmatis quam maxime videbantur res prospere successurae.

Galliae autem legatis Florentiam maio anni 1486 ingressis, Gaguinus, ut disertior, ad verba in concilio Florentino facienda designatus fuit : quod bene et laudabiliter gessit ut ex oratione constat sexto die ante idus maias habita, quae forsan omnibus a nobis jam nunc explicatis anteponenda sit.

Exordium nempe gravitate et majestate temporibus locoque aptissimis ornatur. « Caius Caesar, spectabiles et magnifici Florentini, inquit orator, cum ex Apollonia Brundusium aliquando navigaret, et commotis graviter per tempestatem fluctibus, animadvertisset nauclerum de salute desperare : « Cur, ait, o nauta timore concuteris ? Caesarem vehis ! » Nobis autem ex Gallia a Christianissimo Rege venientibus simile quiddam accidit. Iter enim agentibus nobis nemo fere obvius erat, qui de periculis, quae per Italiam ob bellum neapolitanum essent, nos non admoneret. Adversus quam formidinem recordati nos innocentissimi regis mandata ad populum amicum ferre, vanum timorem

1. Delaborde, *Expédition de Charles VIII en Italie*, p. 177.

2. *Ibid.*, p. 180-182. — De Maulde, *Procédures du règne de Louis XII*, p. 1050-1051. (*Documents inédits de l'Histoire de France*.)

abjecimus, arbitrati de vobis id quod de gravi et constantissima gente decebat[1] ».

Post hoc exordium, Gaguinus tripartito distribuit orationem suam, in qua demonstrat Florentinos justitiae amore, beneficiorum memoria et sua utilitate ita commovendos esse ut Francorum regi satisfaciant et Renato Lotharingiae auxilientur. — Amor primum justitiae eos impellere debet : quid enim? Nonne recordantur quomodo Alfonsus Aragonensis rex, Ferdinandus deinde, nothus ejus filius, Renatum Siciliensem per fas et nefas Neapolitano regno jure possesso spoliarint? « Alfonsus, pessimo scismatis tempore, cum Franci adversus Anglos de vita atque imperio armis disceptarent, Neapolim, exturbato Renato, invadere tentavit, quem eadem temeritate secutus Ferdinandus, adjutore Pio secundo, in regnum se intrusit[2]. » Reliquit vero Renatus Andegaviae heredem suum nepotem Renatum, Lotharingiae et Barri ducem, qui haud injuria, ut jus suum exerceat contendit. Cui regnum repetenti patrocinantur Galli. Num hanc tam aequam causam suscipere Florentini negabunt? — Adde hoc, quod secunda est pars orationis, Florentinos Galliae et Renato auxiliantes nihil aliud nisi beneficio beneficia multa e Regibus accepta esse repensaturos. « Si enim, conclamat orator, ad superiora longe tempora prospiciemus, statim illud nobis occurret hanc florentissimam urbem vestram, cum diruta esset et suis membris destituta, fereque similis solitudini, a divo Carolo Magno fuisse instauratam, ita ut quam Urbis magnitudinem et speciem hodie intuemur eam in Francos referatis acceptum necesse est[3]. » Et ne antiquiora repetamus, num obliviscendum est a Francorum rege, Carolo septimo, Florentinorum precibus commoto, cum Alfonsus Neapolis Flo-

1. Ad Florentinos Robertus Gaguinus regis Francorum Caroli octavi in causa Renati Ducis Lotharingiae adversus Ferdinandum Neapolitanum oratio, IX[a] die mensis maii 1486. (*Epistolae et orationes*, fol. 31 r°.)

2. *Ibid.*, fol. 31 v°.

3. *Ibid.*, fol. 32 r°.

rentinam terram cum duodecim millibus militum invaderet, Sabaudiam deductam fuisse a bello eis gerendo et Venetos ad pacem componendam adductos. — Non solum propter haec beneficia Gallicas partes a Florentia suscipi decet, sed etiam ob utilitatem et commodum necesse est. Etenim haud est dubium quin Gallia devictura sit : duorum adversariorum, aut Renati a rege Carolo octavo tutati, aut Neapolitani regis omni auxilio destituti, cui potissimum res esse successurae videntur ? Uni aderunt et maximus Pontifex et Veneti et Genuensis populus, alteri totius Italiae invidia. « Propterea animadvertere Florentini debent utrum malunt aut cum amico Francorum rege juvare Renatum, dum causam debitae sibi hereditatis armis procurabit, aut extremam fortunam exspectare hominis jam in miseriam et calamitatem sua culpa inclinantis[1]. » Quod si, ut fama est, idcirco se Ferdinando auxilio futuros esse meditantur, quia maxime timent ne in suam patriam libertatemque Pontifex quidquam moliatur, non potest illa valere ratio. « Quando enim moris fuit Ecclesiae praedari et capere aliena ? Nusquam lectum est id fecisse servos Dei, quorum imperium in religione et caelesti cultu magis quam in terreno potentatu consistit[2]. »

An illa oratione persuasi fuerint Florentini ex ambiguis responsis, quae legatis dederunt, dubitari licet. Laurentius Medices, Florentiae dux, aegrum eis venientibus simulaverat[3] : quo absente, potuit Concilium, proposito nullo statim assumpto, nec a Gallia nec a Neapolitano rege alienari. Ex quo primam magnamque animo cepit Gaguinus molestiam.

Verum enimvero legati iterum decepti sunt. Romam ingressi[4], Ferdinandi fautores apud Pontificem, insperato casu,

1. *Ibid.*, fol. 33 r°.
2. *Ibid.*, fol. 32 v°.
3. Delaborde, *op. cit.*, p. 181.
4. Die xxx^a^ mensis maii MCCCCLXXXVI (Infessura, *Diarium*, ed. Muratori, *Scriptores rerum italicarum*, t. III, II^a^ pars, 1203-1204) ; vel xxxI^a^ die mensis maii. (Burchardus, *Diarium*, ed. Thuasne, t. I, p. 204.)

valentes reperierunt. Legatorum enim adventu et Renati apparatu exterritus Neapolis rex sibi Papam conciliare conatus erat. In consistorio igitur, quod prima junii hebdomade sedit, a vicecancellario Rodrigo Borgia, Cardinali Savellio et nonnullis aliis Cardinalibus nuntiatum est Ferdinandum ad solvendum tributum, quod antea negarat, nunc esse promptum. Frustra Renati causam Cardinalis Balua defendit et Papae pacem cogitare non licere asseruit, cum jam tota Gallia, ut Lotharingiae ducem sustineret, commota esset[1]; omnia vana fuerunt argumenta et undecima augusti mensis die inter Neapolitanam et Romanam curiam pax fuit composita. Quae cum ita fuerint, Florentinique adhuc non moverentur, a Gallia et ab ipso Renato bellum susceptum derelictum est; Roma autem egressi sunt legati. Gaguino igitur non melius quam anno 1477 legatio sua successerat.

Carolus octavus saltem, haud patrem imitatus, Gaguino non fuit infensus. Anno enim 1489 verisimile est Mathurinorum ministrum in Angliam ad regem Henricum septimum fuisse mandatum. Hoc, ut diximus, verisimile est; nondum enim ab ullo scriptore mandatus fuisse refertur, sed tantum altera parte ex Historiae Gaguini quodam loco, altera e poemate a Gaguino Londinii composito, quod anno 1489 inscriptum est, nobis inferre licet Gaguinum illo tempore in Angliam ivisse. In suo enim « De origine et gestis Francorum Compendio », expresse asserit Gaguinus « se functum fuisse *aliquot* legationibus in Anglia »[2]. Scimus vero atque, ut videbimus, certo scimus illum in Angliam ad compositionem faciendam anno 1491 missum fuisse. Quomodo autem intelligi possunt haec verba « *aliquot legationes* », nisi ponimus illum alias saltem ad Henricum septimum fuisse legatum? Quae altera legatio ex ipso poemate quod commemo-

1. H. Forgeot, *Le Cardinal Balue*, p. 131-132.
2. Roberti Gaguini *Compendium de origine et gestis Francorum*, fol. 161 v°.

ravimus anno 1489 assignari potest. « Le passe-temps d'oysiveté de Maistre Robert Gaguin, composé dans le temps qu'il estoit à Londres en ambassade..... en l'an mil CCCCIIII^{xx}IX, au mois de décembre »[1] morale quoddam est carmen, de quo iterum dicemus, sed quod nunc tantum a nobis confertur ut certiores fiamus Gaguinum anno 1489 ad controversias componendas Londinii fuisse. Cui titulo enim, nisi diem inscriptum fictum esse putemus, — quod nulla auctoritate licet, — magna vis fidesque est concedenda.

Quae vero legato mandarentur non potest dici. Hoc tantum pro certo dari potest legationem attinuisse ad bellum illud a Francorum rege susceptum adversus Britanniae ducissam Annam, pro qua assidue Henricus septimus, Angliae rex, bello intererat. Non autem ignoramus hoc decembri anni 1489 mense Carolum et Annam, qui inducias inierant, mox bellum denuo esse suscepturos. Ut a bello Henricum amoveret a rege mandatum fuisse Gaguinum haud ita est absurdum, nec nulla auctoritate comprobatur. Constat vero tunc a ducissa legatos in Angliam esse missos qui societatem in Francos compararent[2]; nec mirum est si Carolo regi in mentem venit ut Armoricae obsisteret, sibi vero Henricum septimum conciliaret.

Quod si nonnulla obtinuerit Gaguinus quaeres, invenies fortasse cum scies maio 1490 anni mense Henricum et Papam sese regi Francorum et Annae ut pacis sequestres obtulisse. Scimus enim in Turonica civitate tunc consedisse Henrici nomine comitem de Ormondo et Mortonium cancellarium, duos a Pontifice legatos et pro Francia Salezardum Robertumque Gaguinum, qui sane nihil aliud in Turonica civitate fecit quam in pacifica legatione jam anno proximo suscepta perseverare. Non potuerunt vero legati inter Franciam et Britanniam concordiam omnino componere atque hoc tantum

1. *Le passe temps d'oysiveté* ... (Montaiglon, *Recueil de poésies françaises du XVe et XVIe siècle*, t. VII, p. 225 et seq.)
2. Dupuy, *La réunion de la Bretagne à la France*, t. II, p. 205.

denique consenserunt ut induciae in septem menses porrigerentur[1].

De Gaguino rursus in Angliam legato multo plura novimus. Decembri anni 1490 mense profectus est cum eisdem quibus anno proximo comitatus fuerat: Francisco de Luxemburgo et Carolo Marignyano[2]. In pejus quam proximo anno fuerant gallicae res venerant. Post enim indutias maio mense factas, haud spernendi hostes duo in amicitiam Armoricae sese adjunxerant, Maximilianus Austriae, qui per ministrum ac delegatum Wolfangum de Polhaim Annam ducissam uxorem duxerat et Ferdinandus Catholicus Hispaniae rex. Attamen cum omnium maxime timendus esset Henricus, hunc iterum movere Carolus conatus est[3].

Ingressi Londinium exeunte decembri mense, legati statim, ut ab Angliae Concilio audirentur rogarunt, ac collegarum nomine verbis factis, Gaguinus regis sui desideria patefecit. Quae quanquam perdita est oratio et illa pro nihilo ducenda quae a Bacone, anglico scriptore, ficta est[4], scimus tamen Mathurinorum ministrum expresse Henrico foedus faciendum intulisse et asseruisse regi suo in animo esse non ut Armoricam in ditionem suam redigeret, sed unice jura sua servaret ad matrimonium a Maximiliano et Anna se invito contractum abrogandum, gallicum vero principem ducissae conjugem dandum. Frustra vero vehementissime obsecrarunt Henricum regem, quippe cui jam nunc firmum esset consilium; nam post paucos menses in Armoricam novas copias misit[5].

Sed haud longum futurum erat Franciae cum Britannia bellum; jam enim exeunte anno 1491 feliciter est patratum,

1. DD. Morice et Taillandier, *Preuves pour servir à l'histoire de Bretagne*, t. III, p. 669. — Cf.: Dupuy, *op. cit.*, t. II, p. 206.
2. Rymer, *Foedera*, t. V, pars iv[a], p. 26.
3. Dupuy, *op. cit.*, t. II, p. 223.
4. Dupuy, *op. cit.*, t. II, p. 224-225. — Delaborde, *op. cit.*, p. 212 et 215. Cf.: Bacon, *Historia Henrici VII* (1629), p. 81-93.
5. Dupuy, *op. cit.*, t. II, p. 226.

Anna a Carolo rege uxore ducta. Cum autem matrimonium, quod per delegatum cum Maximiliano contractum erat, publice abrogatum fuit, quasi vitio infectum, tum, ut Annam ducere fas esset, rex Carolus Maximiliani filiam Margaretam Austriae repudiabat, cui foedere in Atrebatensi civitate facto sponsus erat; quod die quinta decima decembris, anno 1491 Papa sua auctoritate comprobavit. Quibus nuntiis haud difficile animo fingi potest quanta ira incensus fuerit Maximilianus: binis injuriis, uxore rapta scilicet filiaque repudiata non vehementer commoveri non poterat[1].

Quarum injuriarum altera sane maxime fuit affectus. Jam enim multos annos in Gallia vitam egerat Margareta quam omnes jam tum reginam fore ducebant; ac subito ab honore repellebatur, ab aemula etiam repente subrogabatur. Jurejuravit Maximilianus se injurias ulturum esse et dum bellum parabat coepit de Francorum rege rumores fingere ac spargere foedissimos. Mox fama fuit imperavisse Carolum ut ducissa Britanniae caperetur, cum e Rhedonibus ad Belgicam proficeretur, Maximilianum sponsum assecutura, et vi se maritum imposuisse. Eumdem aperte plurimi arguebant deceptae turpiter ducissae suasisse Maximilianum veneno interiisse, eamque sic ad dominum alterum eligendum adduxisse[2]. Sublevato per haec odio, sperabat Maximilianus Germaniam indignaturam et Germaniae Dietam, nuper Augustam Vindelicorum convocatam sibi auxilium et opes majores daturam esse, ut bellum cum Francia susciperet.

Itaque etsi sine mora crimen intentum dissolvebat publica negatione omnibus in Europa principibus missa, Germaniam tamen praecipue turpi errore liberare Carolo regi placuit. Gaguinus igitur februario mense anni 1492 in Germaniam profectus est ut dominum suum apud principes purgaret et declararet non solum ea non fecisse quorum argueretur sed

1. Dupuy, *op. cit.*, t. II, p. 231-238.
2. Dupuy, *op. cit.*, t. I, p. 239.

etiam Annam uxorem duxisse haud invitam, nec temere, at uno pacis amore motum.

Cum autem ignoramus quomodo has difficiles egerit partes Gaguinus atque num principibus suadere potuerit regem Carolum aequam probamque mentem habuisse, tum nonnullae ad nos pervenerunt ex his epistulis, per quas dum in Germania manebat, cum Jacobo Wimphelingo, alsatico docto viro, collocutus est, earumque compendium hic exponere decet, quia haud inutilia referre nobis licet, ut cognoscamus quae vel a Gallis, vel a Germanis de recenti regis Francorum matrimonio et filia Maximiliani repudiata cogitarentur.

Alterius alteri jam esse nonnullam notitiam e multis locis harum epistularum constat[1]. Wimpheling igitur cum quae Mathurinorum ministro mandata fuissent ei allatum sit, mente concepit injuriam a Carolo Maximiliano illatam Germanorum nomine exsecrari, et Spiram Gaguino primum misit, comitantibus litterulis, carmen quo ob ejus facinora regi notam inureret. « Propter commune litterarum humanitatis studium, Gaguino scribebat Wimphelingus, ad te mitto carmen sapphicum quod hesterno vesperi confinxi. Si vera est de tuo Rege fama, aequo animo feres scripta nostra, sin falsa et ficta est propter magnitudinem tamen publici rumoris, qui ad Italos usque et exteras gentes penetravit, ignoscito mihi precor[2]. » Et in carmine quo pacto Margaretae sponsus esset Carolus animo colligentem Wimphelingum eloquenter indignari fatendum est, cum regis, ut ait, insidias denuntiat, pronuntiat autem jam nunc Franciae lilia marcere :

1. Cf.: Schmidt, *Histoire littéraire de l'Alsace*, t. I, *passim*.

2. *Epistolae et carmina quibus elegantissime in medium datur repudiatio filiae Regis Romanorum Maximiliani per Regem Francorum Carolum facta et superductio filiae ducis Britonum praefati Romanorum regis sponsae*. Roberto Gaguino ordinis Sanctae Trinitatis ministro generali, Francorum regis oratori, Jacobus Wimphelingus Sletstatensis. Ex Spira, pridie idus februarii MCCCCXCII.

Regis ex raptu tetrico procacis,
Qui dolo foedat thalamos pudicos,
Quae prius gratos dederant odores
    Lilia marcent.

Filiam nuper aquilae potentis
Gallus elegit, rapiens, amavit,
Compotem regni cupiens futuram.
    Lilia marcent.

. . . .

Integro lustro placuit puella,
Et simul vita fruitur suavi,
Sperat et taedas sibi praeferendas.
    Lilia marcent.

Ut decet sponsam fovet, osculatur,
Assidet, stringit niveis lacertis.
Dat manus, ridet, recreatque moestum.
    Lilia marcent.

. . . .

Mox amor Galli bonus et pudicus
Carneo victus, vicioque virtus,
Victa languescunt, cecidere lugent,
    Lilia marcent.

Sponsa quae cordi fuit et placebat
Displicet, conjunx soceri placet nunc.
Magne cur Princeps adeo vacillas?
    Lilia marcent[1].

Et post paucos dies ut sciat Gaguinus quantum doleat et quibus notet verbis non solum Germania sed etiam tota Europa regem Maximiliano insultantem, ei mittit duo carmina in Italia orta quae pravis regis facinoribus turpitudinem infligunt. « Indigna, ut scribit Gaguino, quam rex noster

1. *Ibid.* — Cf.: Ulmann, *Kaiser Maximilian I*, t. I, p. 180-187.

accepit contumelia visa est mihi non suae solum majestati sed universae quoque Germaniae et Alemannis denique omnibus infandum, probrum, labem, injuriam et sempiternam ignominiam attulisse..... Ne autem me ex omnibus duntaxat animo perculsum credas..... et ecce, reverende pater, mitto Italorum carmina, qui ne hoc quidem facinus aequo animo putant esse sustinendum, sed eis indigna est visa rei facies et non tolerabile stuprum[1]. »

Quibus litteris a Gaguino responsa servavimus, gravitatis quidem plena. Vehementer in suum dominum perfide accumulata dissolvit. Ut ex Wimphelingi epistolis illi visum est, « duo sunt quorum gratia Rex in judicium adducitur : repudiatae primum Margaretae, Maximiliani filiae Regis Romanorum, acceptae praeterea in uxorem Annae quae Maximiliano desponsata vulgo ferebatur[2]. » Quorum duorum criminum exstat nullum, rem cum aequa mente consideranti.

Hoc primum excutiamus : Margareta quidem, quarto anno vix peracto, Dalphino Carolo tunc duodecim annos nato sponsa fuit ; sed cum dici potest « ante pubertatem inanem esse impuberum ad nuptias assensum et, dum adolescunt, liberum esse illis sponsaliorum poenitere[3] »; tum memoria repetendum est hunc Maximilianum qui nunc de repudiata filia tam vehementer queritur, primum huic matrimonio obtrectare visum esse. Pactum de nuptiis semper improbavit, tum quod a Flamingis, se inconsulto et reclamante, conflatae conjurataeque essent, tum quod grandis plus aequo dos erat filiae constituta et quae si frater Archidux prae sorore moreretur accessione hereditatis augeri nimis potuisset[4]. » Fraudem ceterum Maximilianus intexuisse potius

1. Roberto Gaguino Franciae regis oratori Jacobus Wimphelingus Sletstatensis. Ex Spira xvi^a kalendas martii, anno MCCCCXCII. (*Ibid.*)

2. Robertus Gaguinus ordinis Sanctae Trinitatis minister generalis juris pontificii tibi deditus interpres, venerabili viro Jacobo Wimphelingo Sletstatensi litterarum humanitatis professori. S. D. P. Heidelbergae, xvi^a die februarii, anno MCCCCXCII. (*Epistolae et Carmina.*)

3. *Ibid.*

4. *Ibid.*

quam Carolus videtur. « Dum enim virguncula inter nobilissimas feminas educabatur[1] », dum apud Francorum regem honoribus cumulabatur, quae a patre cogitabantur? — Societate conjunctus cum Angliae rege, « quem Francis hostem esse pueri non nesciunt[2] », non desistebat Franciam oppugnare et « futurum generum suum bello lacessere. Igitur Margareta quae pacis causa futura uxor venerat, cum nihil praeter graves inimicitias et bellum allatura videretur cupienti patri non injuria remissa fuit[3]. »

Matrimonio vero regis cum Anna ducissa, an est quisquam qui offendi possit? Perlongo duroque Franciae et Armoricae bello confecto, quo meliore modo duae partes reconciliari poterant et « quae spes alia quietis compendiosior occurebat, quam a Franco rege traduci Annam uxorem[4] »? Affertur quidem ducissam antea cum Maximiliano fuisse nuptam et Carolum matrimonii lege obnoxiam illi virginem occupavisse. Num vero pro matrimonio est habenda haec mirifica pompa qua cum Maximiliano Anna juncta fuerit? Legatus in Armoricam missus in ducissae lectum crus nudatum induxit suum et, omni domini sui potestate auctus, Maximilianum Annae maritum esse pronuntiavit. « Sed contra, juris providentia statutum est rem spiritualem nomine alieno neminem gerere posse[5]. » Itaque vel jure vel facto nullius ponderis est Maximiliani cum Anna matrimonium, atque hoc certum subsistit « solum fuisse matrimonium illud simulatum fictumque ad cautionem et stratagema belli[6] ».

Et sub epistulae fine Gaguinus poematium addit, in quo, ut Wimphelingi carmen refutet, asserit non in eo esse gallica lilia ut marceant:

Lilia frondescunt semperque virore recenti
Aethera per summum candidiora valent.

1. *Ibid.*
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*
5. *Ibid.*
6. *Ibid.*

Illa nec insurgens aquilo, nec corus aduret
Fomes erit zephyrus, aura benigna Deus[1].

Attamen Wimphelingus se non devictum esse putavit; sed statim copiosis litteris Gaguini argumenta retractavit ut refelleret[2] et ejusdem carmini altero respondit carmine[3]. Quae cum longius sit hic omnino explicare, sat est ut dicamus ex his haud secus atque ex illis quae supra vidimus percipi posse quam acerrime tum decertatum sit de illo matrimonio, quo ad regnum gallicum pulcherrima provincia adjungeretur.

Non aliud autem atque Wimphelingi et Gaguini illud jurgium nobis est notum de Mathurinorum ministri in Germania legatione. Quae fecerit aut quae obtinuerit ignoramus, nec quo tempore in Franciam regressus sit scimus. Attamen ex ira qua Wimphelingi litterae incenduntur cogitari potest eodem animo a Germanicis principibus receptum fuisse Gallicum legatum in quo Germani universi essent. Itaque augurari possumus Gaguino male successisse mandata et post multas alias repulsam aliam accepisse. Fatendum est enim Gaguinum, nescio qua mala fortuna fretum, res nunquam feliciter gessisse. Accidit quod desunt monumenta quibus statuere liceat utrum Gaguinus recusandus sit an tempora. Quae cum ita sint, elegationibus quae Gaguino minime prospere multa successerint non dubitare non possumus de ejus in publicis rebus moliendis peritia atque industria. Ludovicus undecimus vero, qui in his non mediocriter valebat, non temere forsan Mathurinorum ministro fidem non reliquerit. Vidimus saltem atque iterum videbimus Gaguino contigisse ut alia ob merita magni aestimaretur.

1. Roberti Gaguini Franciae regis oratoris Elegiacus ad Jacobum Wimphelingum Sletstatensem. (*Epistolae et Carmina.*)

2. « Sequitur responsio Jacobi Wimphelingi Sletstatensis primum ad epistolam deinde ad carmen Roberti Gaguini. Ex Spira, XI[a] Kalendas martii, anno MCCCCXCII. » (*Ibid.*)

3. Carmen elegiaco saphicoque mixtum Jacobi Wimphelingi respondens carmini elegiaco R. Gaguini. (*Ibid.*)

CAPUT QUINTUM.

DE ULTIMA VITA GAGUINI. — DE GAGUINO MATHURINORUM ORDINIS MINISTRO. — DE GAGUINO SCRIPTORE.

1492-1501.

Ex illo anno 1492 usque in annum 1501, quo mortuus est, Gaguinus publicarum quidem rerum curam omnino deseruisse, Ordinis autem sui in negotiis procurandis simul atque in scientia colenda omne tempus consumpsisse videtur. Non quod superioribus, de quibus dixi, vitae annis, officia vel studia sua neglexerit; mox enim, cum de Gaguini scriptis agetur, illum ostendemus, quanquam a Carolo octavo rege, cui fiduciam magnam attulisset, multa negotia per octo annos acceperat, otium tamen invenisse quod litterarum studiis indulgendo contereret. Illum quoque rerum civilium cura ab amplissimo obeundo munere, quod fratrum consensu occupabat, nunquam deterritum fuisse persuasum habebimus, si pactiones scriptas respiciemus, quas anno 1486, quo legationem Romae peragebat, cum Philippo Cluysio, Moreae baillivo Guillelmoque Caoursino, subcancellario, a Rhodiorum militum ordinis Magno Magistro deputatis, ad ordines Mathurinorum Rhodiorumque permiscendos fecit. Quae acta, quarta julii mensis die subscripta, quanquam ex illis nihil postea factum esse videtur, certa tamen sunt. Davity enim, cum in libro cui titulus inscribitur « Description du Monde » de religiosis ordinibus disserit, exemplar sibi a

Ludovico Petit, qui tum sanctae Trinitatis ordini praeesset, exhibitum fuisse testatur[1].

Sed tantum post annum 1492 Gaguinum cum maxima opportunitate Mathurinorum ordinis causa agere videmus, scilicet cum anno 1497 decretum, quo ordinem suum reformaret, emisit : quae reformatio cum non solum ad res administrandas, ut ea jam anno 1477 tentata, sed etiam ad mores emendandos pertineat, multo majoris est momenti.

Ex Gaguino ipso scimus quanta sollicitudine erga Mathurinorum mores teneretur. Non quod Minister Ordinis qui carmen « *De hospita Vernonensi*[2] » et ejus deliciis composuisset, purae castaeque vitae perfectum exemplar praebuerit, sed quod magnae habuit curae fratres potius quam seipsum a quibusdam festivitatibus deterrere. Novimus jam, Gaguino ipso auctore, quibus circa annum 1473, quo novus Minister electus est, Mathurinorum ordo uteretur moribus, qua laxata emollitaque disciplina, quibus denique perniciosissimis vitiis jam in consuetudinem versis affligeretur. Omnia illa iram Gaguini tam vehementem moverunt, ut ex ejus litteris facile sit videre quanto ardore ad efficiendam, quam tunc esse necessariam dixerat, reformationem intenderet, sed etiam quam grave, laboriosum, ingratumque opus sibi assumpserit. Attamen non omnia monasteria credimus instar fuisse « Sancti Vincentii de Roboreto », quod Georgio Havardo Minister sic describit : « Duobus jam, ait, ut meminisse potes, ex ea domo exactis Ministris, tertium induxi, quem aetate defectum brevioris vitae arbitrabar. Sedet tamen sagina oppletus senex et stertit crapulam exhalans. Cui de abdicando se ministratu si quid suggessero, suum jugulum peti et se confodi clamitabit, adeo suspiciosi sunt senes atque formidolosi. Obsistunt praeterea mihi compotores hominis, qui illum obstinatum reddunt, ita ut saxum facilius

1. Helyot, *Histoire des Ordres religieux*, t. II, p. 317. — Niceron, *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres*, t. XLIII, p. 8.
2. De hospita Vernonensi. (*Epistolae et orationes*, fol. 84 r°.)

quam praeduram ejus mentem emollias. Conveniam tamen illum acetoque et igni, quemadmodum dejecisse Alpes Annibal memoratur, saxeum senem effringere tentabo[1]. » Talia etsi jocose dicta, Mathurinorum multos voluptatibus tunc pessumdari denuntiant; sed gravibus quoque et tristibus verbis fratrum suorum clericorumque omnium mores corruptos aliquando reprehendit. Sic enim de habitu clericorum ad Abbatem Spannetensem scribit : « Quis non moleste ferat tunicellas instar laïcorum breviatas, angusta sine cuculae humili exemplo scapularia complicata ad latus, calligas in renes usque et umbilicum arctissime tensas, quae cum pudendam partem obtegere deberent, eam deformatis expressam lineamentis representare intuentibus non erubescunt; voces inconditas, sermones impudicos, lascivos et petulantes incessus, quotidianas cum mulierculis palam fabulationes [2] ? »

Ceterum si ad ipsam reformationem spectabimus, cujus anno 1497 instituta promulgavit, quibus emendandis vitiis congruat inveniemus[3]. Prohibentur monachi e monasterio in singulis hebdomadibus bis excedere; semel vero exire possunt, si tamen ministro placet, quo in casu honestum valde judicat Gaguinus « ut socius aliquis ex fratribus illis a Ministro committatur ut testem suae conversationis habeat[4] ». Prohibentur quoque fratres commissas sibi res habere, dona vel litteras, insciente ministro, accipere. Denique « ut reverentia et debitus honos inter fratres conservetur », inhibet Gaguinus « ne aliquis frater alterius fratris cameram ingredi sine Ministri visione praesumat; qui contrarium fe-

1. Robertus Gaguinus Georgio Havardo. (*Epistolae et orationes*, fol. 21 v°.)

2. Robertus Gaguinus ad Abbatem Spannetensem. (*Epistolae et orationes*, fol. 50 r°.)

3. *Statuta Ordinis fratrum Sanctae Trinitatis et Redemptionis Captivorum. Anno Domini MCCCCXCVII° trigesima die mensis Augusti.* (Haec statuta continentur in codice in Bibliotheca Mazarinea asservato et numero 1766 notato, fol. 16 r°-20 r°.)

4. *Statuta* ..., fol. 18 r°.

4

cerit, licet de hoc non fuerit accusatus, se ipsum puniat et sequenti die a communi potu et cibo privatus, panem tantum et aquam sua sponte edat et bibat..... Si quis vero in camera alterius fratris pernoctare et dormire praesumpserit carceri mancipetur. Quod si iterum idem commiserit unius mensis carcerem subeat; tertio autem deprehensus a communi fratrum societate et fraternitate omnino separetur[1]. »

Talibus quidem praescriptis suspicari possumus quam vitiosi essent Mathurinorum mores; aliis vero, ad res gerendas pertinentibus, quanto studio munus quoque suum Gaguinus administraret. Ab eo enim sancitum est ut Mathurinus omnis, postquam provinciae praefectus creatus erit, a Ministro Generali statim petat ut in munere illo confirmetur, quo deinde honore confirmato tres tantum inter annos utatur[2]; — ut monasterii cujuscumque fratribus ministrum suum ex monasterio altero sumptum eligere liceat, si nullum inter se tanto honore dignum aestiment[3]; — ut tantum quindecim annos nati pueri in numerum novitiorum admittantur[4]; — ut recepti novitii seclusum in locum congregentur « ubi omnes ad suscipiendam doctrinam et eruditionem conveniant », et magistro tradantur « qui illos docebit nec permittet extra domum vagari aut inde quacumque hora exire, nisi urgente necessaria causa et illis tantum horis quibus in ecclesia vel in refectorio illos assistere et servire oportet[5]. »

Non solum his institutis, quae modo referre forsitan satis sit, sed multis etiam epistulis, quae negotia ejus nos docent, Gaguinum planum fit continuam operam in ordine regendo posuisse. Nunc ad Johannem Portugallorum regem, quam lectionem cujusdam provinciae Hispaniae praefecti fratres fecerint, eam ut ratam habeat, defert, scilicet ut subtili illo

1. *Statuta* ..., fol. 19 r° et v°.
2. *Statuta* ..., fol. 16 v°.
3. *Statuta* ..., fol. 17 v°.
4. *Statuta* ..., fol. 18 r°.
5. *Ibid.*

modo principis oculos ad respiciendum Ordinem vertat[1]; nunc Georgii Havardi commendatitiis litteris cum magna sagacitate prudentiaque respondet, concedens aut abnuens, prout petitores a regiarum supplicationum auditore commendati cupito honore digni an non ei videntur[2]; alias Didaco de Tolleto, novo Hispaniae Provinciali, mandat, ut sibi saepissime scribat atque antecessorem in scribendo parum curae suae prodigum imitari nolit : « Nam, inquit, totis quattuor superioribus annis unam tantum ab eo epistolam suscepimus, in qua non de nostris fratribus sed de se, de frequenti sua ad Mauros profectione, de aedificiis et suis laudibus multa perscripsit[3]. »

Jam vero exstat oratio, qua patet tam multa instituta mandataque illa Gaguino nostro non satis fuisse, eum autem plerosque Ordinis sui ministros in concilium congregare voluisse « ita ut exsequi posset suum patris officium dilectissimosque suos fratres consolari et reficere pabulo verbi Dei[4] ».

Eumdem scimus non solum moribus fratrum suorum emendandis, sed etiam privilegiis opibusque servandis operam dedisse, nam eo curante, anno 1497, perscriptum fuit « L'inventaire des Chartes et lettres sur le faict des droictz, franchises, privilèges, libertez, terres, maisons, vignes, admortissemens et possessions quelconques estans et appartenans à l'Église de M. Sainct-Mathurin de Paris, de l'ordre de la Saincte Trinité et rédempcion des Captifs[5]. »

Minister autem generalis, quanquam eum constat pleraque ad res administrandas pertinentia intra 1492 et 1501 annum peregisse, eodem tempore officia alia, quae sibi ut doctus

1. R. Gaguinus Joanni Portugallorum Regi. (*Epistolae et orationes*, fol. 12 r° et v°.)
2. R. G. Georgio Havardo. (*Ibid.*, fol. 9 r° et v°.)
3. R. G. Didaco de Tolleto. (*Ibid.*, fol. 10 v°.)
4. Ad ministros Ordinis in Capitulo generali Roberti Gaguini oratio. (*Epistolae et orationes*, fol. 45 r°-48 r°.)
5. Archives Nationales, LL, 1550. — Cf.: Archives Nationales, X¹ᵃ 1497, fol. 25 r°.

litteratusque vir assumpserat, vel minime neglexit; mox enim illum his quidem annis cum maximo ardore se studiis dedisse videbimus.

Restat ut dicamus ubi, quando, quomodo mortuus sit. Nulla est de tempore mortis controversia, quippe quam in obituario Sancti Mathurini Parisiensis notatam inveniamus. Haec est mentio : « Hic liber anniversariorum renovatus fuit anno dominicae Incarnationis MCCCC octogesimo tertio. — Spes mea Deus. — Littera supra scripta est ex manu domini Roberti Gaguini, qui obiit xxII^{a} mensis maii, anno MV^{c} primo et ministravit in sua majori administratione, annis xxvIII. Assumptus est autem in majorem Ministrum xv^{a} mensis maii anno MIIII^{cc} septuagesimo tertio; expiravit xxII^{a} maii, anno MV^{c}I^{o}.[1] »

Plerique autem, tametsi res parum comperta est, Gaguinum in Praevinensi monasterio, in silva Neppae sito, obiisse dicunt; quod quoniam non certis argumentis probatur, eum credendum est Lutetiae mortuum, in villula forsitan, quam in Sancti Germani suburbio possidebat, eique amantis laudes in litteris suis tribuit.

Sed non dubium est illum Lutetiae sepultum esse, nam Germanus Brice in libro cui titulus inscribitur « Description de Paris » tumulum ejus in ecclesia parisiensi Mathurinorum vidisse positum asseverat, eumdemque hoc epigrammate ornatum quod italicus poeta laureatus composuerat Faustus Andrelinus, Gaguini amicus :

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
  Hic sua Robertus membra Gaguinus habet.
Si tanto non saeva viro Libitina pepercit,
  Quid speres docti caetera turba chori?

Narrat praeterea Swertius fossores anno 1550 tumulum, qui locum, ubi sepultus fuisset Gaguinus, contingeret, ape-

1. *Ordinarium martyrologium ac obituarium Sancti Mathurini parisiensis ecclesiae ab anno* 1483. (Codex, in bibliotheca Mazarinea conservatus, numero 3355 notatus est.)

rientes cadaver ejus paene totum invenisse atque ita integrum ut circumstantes omnes mirati sint. Tunc Jacobus Bourgeois, Provincialis ordinis Sanctae Trinitatis in Flandria, qui forte Lutetiae erat, caput Gaguini sibi dari postulavit, quod Duacum allatum in loculo bibliothecae sui monasterii in parietibus exciso condidit, cum his duobus distichis inscriptis :

Aspice me quaeso: Roberti carcere mentum
Hoc tenui, recolas quae monumenta dedit.
Te sua scripta manent : speculum tibi mortis ad hoc sum,
Discito, vita brevis, nec tibi certa manet[1].

1. Niceron, *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres*, t. XLIII, p. 5-7.

SECUNDA PARS.

DE ROBERTI GAGUINI OPERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE GAGUINO HISTORIARUM SCRIPTORE.

Historicum scriptum cui titulus inscribitur : *Compendium de origine et gestis Francorum* praecipuum idemque laudatissimum Gaguini opus est, ita ut, narrata vita expressaque hominis imagine, nunc ab historicis ejusdem operibus, in quibus maxime illustris fuerit, incipiendum nobis esse videatur.

Gaguini jam ex litteris multa haud quidem levia ad vitam ejus penitus cognoscendam excerpsimus, scilicet ad, egregio saepe modo, illum perspiciendum qualis demum in singulis sortibus esset, sive Mathurinorum Ministrum generalem, sive virum dignitatibus in Universitate eminentem, sive legatum spectamus. Nunc autem litteris ex iisdem historicus auctor quis sit discemus, cum in iis quid Gaguinus sibi *Compendium* scribendo proposuisset et quo sibi proprio justissimoque, ut suis temporibus, modo de historia sentiret, videre facile sit.

Plerisque igitur in epistulis atque etiam in primis crebro dolet Gaguinus nullum, ab illustri aetate qua condita est Francorum monarchia usque ad quintum decimum saeculum, exstitisse in Gallia virum « qui, vel praemii expectatione, vel gloriae cupidine, in animum induxerit scribere cum aliqua

majestate suae gentis memoratu digna facinora[1] ». Quod desiderium simul atque, ut multa alia jam notata, Gaguinum patriae suae amantissimum fuisse significat, nobis quoque studii, jam ad historiam incitati, primum indicium est. Eloquentissime vero plerumque dolet, velut in litteris Ambrosio Cambrayo familiarissimo suo missis, quas igitur paene totas referre praesertim decet : « Miror certe, ait, desidiam ne dicam ignorantiam nostratium scriptorum quibus ad res gloria dignissimas animus non invalescit : patriae calamitates complorare et principum nostrorum gesta litteris illustrare. Semper Herculem et Thaeseum Graecia, Romulum et Scipiones Roma semper nobilitat; tumultuanturque auctores exempla proferre de Romanis, quos etsi fortuna provexit reddit eos quoque ubertas scriptorum auctiores. Nostros vero vel Reges, quorum non est laus inferior Caesaribus, vel in omni fortuna probatissimos homines, quibus Francia non orba est, nemo in lucem tollit splendore litterarum... Sit Nicias, sit Alcibiades illustris, sit Camillus, sit Annibal gloriosus; efficatiora tamen exempla nobis esse debent quae nostra non aliena Respublica comparavit. Volo Clodoveum, volo Lotharium, volo Pipinum, qui rem francam auxerunt recorderis, nec posthabeas velim recentiores Carolum, — dico patrem, — et Ludovicum qui nunc liliis praeest. In quibus ita se fortuna variis modis exercuit, ut si alias saepe, in his ipsis tamen regibus bifrons maxime visa sit atque versatilis; horum procul dubio rebus gestis potiusquam Furii aut Fabii monumentis juvare, honestare, augere Franciam potest quisquis patriae amore ducitur et gaudet majestate[2]. »

Eadem fere in litteris aliis Petro Doriolo Cancellario missis exponit, sed insuper dicit futuro rerum nobilium, quas Franci gesserunt, scriptori latine scribendum esse « ut ad eas terras gloriosum scriptoris nomen latina dictio

1. Robertus Gaguinus Petro Doriolo. (*Epistolae et orationes*, fol. 8 r°.)
2. R. Gaguinus Ambrosio Cambrayo. (*Epistolae et orationes*, fol. 29 r° et v°.)

proferat, quo magna virtute majorum suorum arma penetrarunt[1]. »

Restat ut aliquis hoc opus suscipiat, quem ut sibi indicent Gaguinus omnes rogat quibuscum epistolarum consuetudinem habet. Intellegit quidem causam esse cur nemo gesta Francorum narrare tentaverit, principum negligentiam qui nullum incitamentum ingeniis scribendae historiae aptis attulerint, nec ante oculis doctorum diligentiumque hominum, ad tantum et tam grave opus aggrediendum fortasse inclinatorum, ullam spem unquam ostenderint fore ut nonnullum laboris sui fructum caperent. « Exundantem rerum copiam Francos reges praebuisse negat nemo, nec defuisse ingenia quae illorum gesta scribere voluissent. Sed quis suam operam locaverit, ubi fame crucietur? Cum deest merces injucundus est labor. Aristoteles cum animantium naturas scrutatur Alexandri nitebatur auxiliis; Virgilio dulces camoenas meditanti cum Maecenas tum Octavius non defuit[2]. » Itaque a Petro Doriolo magnopere petit Gaguinus ut Ludovicum undecimum regem precibus sollicitet cupidumque principum illorum instar faciat poetarum doctorumque regiae gloriae causa fovendorum. « Age ergo, vir magnifice, inquit, regiam celsitudinem excita, delectum hominum habeat, quorum sagaciter odoretur ingenia et quem vel experientia, vel sapientum sententiis tam sublimibus rebus sufficere judicabit, eum rejectis susurronibus adciscat, huic uni mandet gestorum memoriam erudita scriptione facere sempiternam[3]. »

Nullum tamen est indicium unde invocationem illam a rege auditam pateat, Gaguinoque quam curam tam magni aestimabat res a Francis gestas scribendi, eam mandatam esse. Verisimile est autem auctorem nostrum sua sponte opus historicum composuisse, cui titulus est « *Compendium de origine et gestis Francorum* », et patriae ejus totam a

1. Robertus Gaguinus Petro Doriolo. (*Epistolae et orationes*, fol. 8 r°.)
2. R. Gaguinus Ambrosio Cambrayo. (*Epistolae et orationes*, fol. 29 v°.)
3. R. Gaguinus Petro Doriolo. (*Epistolae et orationes*, fol. 8 r°.)

monarchia Francorum condita usque ad Ludovicum duodecimum regnantem historiam continet. Nihil est enim neque in libri praefatione, neque in praeconiis, quae aequales plurima tunc ei miserunt, quod a principe vel optimatibus incitamenta opemque Gaguino allata fuisse indicet, ita ut dignus sit cui non solum res domesticas primum narravisse, sed etiam operam illam tantum patriae amore instinctum confecisse, geminatae laudes tribuantur.

Difficile est tempus certum indicare quo in Compendii sui confectione Gaguinus versari coeptus fuerit. Inferre tamen licet ex epistula, quam sub fine anni 1482 ad Carolum Saccum misit [1], alteraque ad Guillelmum de Rupeforti, verisimiliter post Ludovicum undecimum mortuum scripta [2], Gaguinum Ludovico undecimo regnante nondum historiae vacavisse. Compendio autem anno 1495 in lucem edito, ab anno 1483 ad annum 1495 opus suum confecisse Gaguinus videtur. Jam vero si Gaguini tempus diligentiamque omnem reputabimus ab anno 1484 ad annum 1492 in plurimis gravibusque oneribus sustinendis consumpta esse, illis in octo annis non videbitur satis ampla Ministro Generali otia fuisse, ut assiduae operis perscriptioni se dederetur. Quapropter contendere nobis licet Compendium, si non integrum at certe paene totum, ab anno 1492 ad annum 1495 compositum esse.

In Compendio primum anno 1495 typis mandato, ab origine Francorum exposita exordium, finis vero ab apparatu quem ad bellum italicum componebat Carolus octavus, capitur. In editionibus binis anni 1497, recentiora facta narrantur, praesertimque pugna ad Fornovium commissa. In quarta denique editione anno 1501 prolata, ultimaque a Gaguino recurata, auctor non recentiora narrat quam in januario mense anni 1499 gesta.

1. R. Gaguinus Carolo Sacco theologo doctori, pridie kalendas septembris MCCCC octuagesimo secundo. (*Epistolae et orationes*, fol. 12 v°.)

2. R. Gaguinus Guillelmo de Rupeforti. (*Epistolae et orationes*, fol. 30 v° et 31 r°.)

In ultima illa, quae optima aestimanda est, editione, Compendium in undecim libros distribuitur. Liber primus ab origine Francorum ad Clotarium primum perducitur; — secundus a Chrammo supplicio summo punito ad Brunehildem incipientem saevire; — tertius a sceleribus et morte Brunehildis ad Aquitaniam in Pippini potestatem redactam; — quartum tenent Caroli Magni Ludovicique Pii regna; — quintum quidquid Franci a pugna ad Fontanetum commissa usque ad Philippum primum regnare incipientem gesserunt; — in sexto Philippi primi, Ludovici Grossi dicti, Ludovici Junioris et Philippi Augusti ; — septimo, Ludovici octavi, Sancti Ludovici, Philippi tertii, Philippi quarti, Pulchri vocati, Ludovici Hutini, Philippi Longi; — octavo Caroli quarti, Philippique sexti regna narrantur; — de Johanne rege, Carolo quinto et Carolo sexto in nono libro agitur, superioribus libris quidem ampliore, sed decimo minore ubi omnia exponuntur quae regnantibus Carolo septimo Ludovicoque undecimo evenerunt; — undecimus denique liber, qui a Carolo octavo novum imperium inchoante incipit, amplitudine alius in alia editione est.

Sed Gaguini nostri epistulae, simul ac nobis indicant quid historiam componendo sibi proposuisset, modo quoque ad delectationem utilitatemque pariter apto, qua ratione et arte eamdem sibi esse tractandam existimaret, nos docent.

Gaguino primum, ut ex epistula quadam ad Guillelmum de Rupeforti missa apparet, historiam aequo animo scribi necessarium videtur. Vehementer enim indignatur, quod historici nonnulli auctores, hoc aut illud causae sumentes, facta exponere alia atque evenerunt conentur. Alii, inquit, maxime sane vituperandi, principum auribus blandiri in animo habent; alii, bonorum morum cura solliciti, historiae contendunt scriptores, si quis insigni infamia res vel quorumdam scelesta facinora narrat, mala exempla ante oculis ponere legentium, quos ad similia hortentur. Omnino isti errant, inquit Gaguinus; historiae scriptor contra, ut bonis moribus faveat, aequo animo vera, sive egregia, sive nefaria,

expromere debet. « Qui enim famae obscenitatem timent, qui gloriae splendorem amant, dum majorum vitia legunt a probris cavent et viam qua laudari possint ingrediuntur[1]. »

Gaguinum ergo in historia diligentem aequabilemque fore praesentimus. Jam vero alia quaedam epistula majorem auctoris nostri exspectationem facit, nosque inducit ut illum jure credamus rationis, qua de historiae fide existimandum sit, adumbratas notiones jamjam habuisse, vixque unum post seculum in Gallia penitus cognosci debebat. Cum enim Carolus Saccus ei « antiquum codicem gestorum Caroli Magni » perferendum tradidisset, hoc responsum Gaguinus amico suo, quod pro sententiis recentius existimares, reddidit: « Codicem, inquit, gestorum Caroli regis, qui Magni nomen ingentibus factis promeruit, legi diligenter. In quo permulta sunt quae ab historicis longe discrepant; de quibus judicium, concordiamque facere non est triduani operis labor. Praeterea sic in eo confuse omnia acervata sunt, ut tametsi ad ordinem revocari possint, oratione tamen pro rerum magnitudine illustrari uno vel altero die nequeunt[2]. » Nonne ex hac epistula Gaguinus, hominum qui nostra in aetate scientia callent more, de historia sentire videtur? Nonne in monumento omni versata, ut de ejus fide decernatur, controversia, et scriptorum aliorum aliis conferendorum cura, et rei cujusque magnitudo, sive gravis, sive inanis, proprie distincta, omnia denique quibus historiam quam verissime tractare recentiores scriptores conantur, in his subtilissimis Gaguini litteris praesensa atque indicata sunt?

Accidit tamen auctorem nostrum non tam bene historiam condidisse quam concepisse; quod nobis clare apparebit si Compendium quibus ex fontibus haustum sit et quid ad eruditionem delectationemque valeat spectabimus.

Quisquis enim, antequam Compendium ipsum legendum

1. R. Gaguinus Guillelmo de Rupeforti. (*Epistolae et orationes*, fol. 31 r°.)

2. R. Gaguinus Carolo Sacco theologo doctori. (*Epistolae et orationes*, fol. 12 v°.)

aggrediatur, binas litteras, quarum laudati jam a nobis loci plurimi fuerunt, praelibavit, expectatione sua deinde frustratur, cum inter undecim illos libros, ex quibus totum opus constat, decimi vel undecimi libri partes, quae nonnullius momenti aut ratione historiae novata sint, aliquas tantum inveniat. Ne ibi quidem multo praestare historicas virtutes existimabit, quarum Carolo Sacco Gaguinus magnam expectationem fecerat.

Quod ad fontes attinet, Compendium in duas omnino diversas partes dividi potest, quarum :

I° Una, in primis novem libris decimique portione aliqua, historiam a Monarchia Francorum condita usque ad Carolum Septimum mortuum continens, tantum ex antiquioribus scriptis excerptis congestisque constat ;

II° Altera vero regna Ludovici undecimi, Caroli octavi, partimque Ludovici duodecimi narrans, sola nobis quamdam utilitatem momentumque affert.

Qua ratione habita, utramque partem explorabimus.

Monumentis primum, quibus fretus gallicas res usque ad Ludovidum undecimum regnantem Gaguinus exposuit, non diu morabimur; nam prima Compendii parte insigni illi compilationi collocata, quae « *Chroniques de Saint-Denis* », vel « *Grandes Chroniques de France* » appellatur, ad certum deducimur auctorem nostrum nihil aliud atque illud opus paene in totum perscripsisse. Sed haeret una res, de qua antequam disseramus, unde fundamenta sua Sancti Dyonisii chronica duxerint et quo modo « *Les Grandes Chroniques de France* » composita sint, paucis verbis dicere refert.

Ludovici noni sub principatu, fortasse etiam jussu, Mathaeus Vindocinensis, Sancti Dyonisii abbas, hoc sibi sumpsit ut singula chronica, e quibus Galliae historia tantum adhuc constaret, in unum corpus contraheret. Quo consilio :

I° Omnia latine scripta, in bibliotheca monasterii sancti Dyonisii seposita, primum collegit, elegit deinde quae ei maximam utilitatem atque veritatem allatura visa sunt et

temporum ratione ordinavit, ita ut prima facta sit compilatio latine scripta;

II° Hanc autem confectam gallice transtulit, translatamque Philippo tertio, anno 1274 obtulit. Haec est gallica conversio postea « *Grandes Chroniques de France* » dicta, quibus ampliandis usque ad quindecimum saeculum sive vetera chronica recentiori modo accommodata, sive nova scripta continuo addita sunt[1].

Quod igitur ad Francorum gesta attinet ab originibus usque ad tertium decimum saeculum, Sancti Dyonisii Chronica in utramque formam nobis tradita exstant et compilationis latine scriptae, cui primum Mathaeus Vindocinensis se dederat, et ejusdem gallice translatae. Itaque cum de Gaguino historiarum scriptore agitur et de materia qua fretus Compendium suum composuerit, venit in contentionem utrum latina Chronicorum eorum perscriptione an gallica ad opus suum conficiendum usus sit. Quod scire magnopere refert, tametsi primo adspectu haud operae pretium ullum esse videatur. Non enim hoc unum interest quod scriptura prior exemplar, posterior vero translatio est ; sed etiam gallica conversio amplificationibus, emboliis, explicationibus adjunctis paulatim accrevit, quae omnia, utpote post tertium decimum saeculum inserta, errores multos, sive in computandis temporibus, sive in referendis moribus institutisque, scripturae latinae, primum talibus vitiis liberae, attulerint[2].

Unde factum est ut Augustinus Thierry, cum erroribus quibusdam in gallicam conversionem admissis Compendium vacuum esse comperisset, Gaguinum nostrum tantum latine scriptis Sancti Dyonisii Chronicis ad historiam suam conficiendam usum esse contendit. « Compositum, inquit, ex Chronicis latine scriptis historicum opus Gaguini non hos multos errores praebet, qui in Gallicam translationem, ter-

1. *Recherches sur les auteurs des Grandes Chroniques de France*, par L. Lacabane. (*Bibl. de l'Éc. des Chartes*, I[a] series, t. II, p. 59-61.)
2. Augustin Thierry. *Dix ans d'études historiques*, p. 547. (T. III *Operum omnium*.)

tio decimo saeculo conditam, irrepserant scriptoresque decipiebant, si quis ad historiam tractandam translatione ea uteretur. Qua forsitan diligentia dignus fuerit qui fabulas a falso Turpino de Carolo Magno excogitatas non retulisse, principemque illum, Eginhardo tantum auctore, neque mirifica specie, qua tradita non ei constiterat vultus verisimilis adhibita, depinxisse laudetur[1]. »

Sed de illa re Augustino Thierry, quamvis gravis auctor et haudquaquam spernendus historiarum scriptor sit, assentiri nobis non licet.

A priori enim atque in universum aestimanti Gaguinus Chronicorum gallicam translationem usurpavisse videtur. Nam compilatio latina, quam tertio decimo saeculo Mathaeus Vindocinensis formaverat, adeo non apud homines medii aevi pervagata est, ut illam quinto decimo seculo, si non omnibus ignotam at certe paucis notam fuisse verisimile sit. Gallica contra Chronicorum translatio in magna claritate auctoritateque iisdem temporibus erat. Cum enim « *Les Grandes Chroniques de France* » Johannis Chartier opere, cui nomen inscribitur « *Histoire chronologique de Charles VII*[2] », novissime aucta, tempore quo Gaguinus scriberet bis in vulgus anno 1477 primum iterumque anno 1493 emissa fuissent, mirum sane videtur Gaguinum in manibus versantem editiones duas, quae magni momenti delectationisque esse universo omnium consensu ostenderentur, scripturam veterem atque in oblivione jacentem suo usu maluisse.

Sed validiora ad opinionem nostram confirmandam argumenta afferre possumus. In Compendio enim longe plura quam in Chronicis latinis facta, si opera ambo inter se conferes, haud aegre invenies, quae singula ex Sancti Dyonisii Chronicis gallice translatis Gaguinum hausisse videbis. Exemplo nobis sint de trojana Francorum origine atque primis discursationibus Gaguini dicta, Aimoïni, primi

1. Augustin Thierry, *op. cit.*, p. 547.
2. Jean Chartier, *Histoire chronologique de Charles VII.* (Ed. Denys Godefroy, *Histoire de Charles VII*, Lutetiae, 1661, in-folio.)

scriptoris in latina Sancti Dyonisii compilatione admissi, dictis collata. Haud sane inter se dissimillima sunt; at tamen amplificationes circumstantiaeque aliquot in Compendio quidem reperiuntur, quae non in Aimoïni opere exsistunt. Si autem Gaguini narrationem narrationi in scriptis gallice « *Grandes Chroniques de France* » factae conferemus, mox persuasum habebimus auctorem nostrum huic proxime nominato operi non solum facta relata sed etiam ordinem modumque referendi surripuisse. Utrique enim idem cursus est, majore tantum brevitate Gaguini aliquando distinctus.

At enim falsi Turpini fabulas non rettulit. Videtur quidem Augustinus Thierry credidisse fabulas illas modo in Chronicis gallice scriptis posse reperiri, nullo loco in latinis, quibus igitur Gaguinum usum fuisse colligendum sit. « Nullam aliam ob causam, plane inquit, Gaguinus facta a falso Turpino relata omisit, nisi quod Chronica latina, quibus usus est, talia ei non indicaverunt[1]. »

De utraque re Augustinus Thierry errat.

Primum enim non secus atque compilatio gallice scripta, compilatio latina Chronicorum Sancti Dyonisii Turpini Chronica inter Caroli Magni, Einhardo auctore, et Ludovici Pii dicti vitas collocata habet[2], ita ut Gaguinum, quacumque scriptura usus est, fabulas falsi Turpini cognovisse necesse fuerit.

Jam vero Chronica falsi Turpini adeo bene cognovit, ut nos docendos, cur historiam suam non ex eis hauriret, ipse curaverit. Expresse enim in Compendio suo dixit Turpinum non esse gravem, idoneumque auctorem, sed opus poeticum, haud historicum composuisse, quod non sine magna prudentia usurpare liceat. « Quae a Turpino Remensi plurima produntur, inquit, ea per multum audaciae graecanicae habere mihi videntur. Figmentis enim similia per poesim

1. Augustin Thierry, *op. cit.*, p. 547.
2. Lacabane, *Recherches sur les auteurs des Grandes Chroniques.* (B. E. C., Ia series, t. II, p. 60.)

excogitata esse crediderim[1]. » — Argumento denique nobis erit Chronicorum Turpini translatio, quam a Gaguino factam esse videbimus.

Unde fit ut Augustini Thierry argumenta evertantur. Fabulas enim Turpini Gaguinus neglexit:

I° Non quod haec aut illa Chronicorum Sancti Dyonisii excerptio Chronicis falsi Turpini vacua fuerit, quippe quae prescriptio quaevis in manibus ejus versata contineret ;

II° Sed quod Gaguinus, sicut ipse nos docet, adeo diligens atque subtilis in historia scribenda fuit, ut tantis erroribus capi vitaret.

Nullum igitur argumentum superest quod Gaguinum Chronicis Sancti Dyonisii latine scriptis usum esse demonstret ; multis vero argumentis eum Chronica gallice translata tantum usurpavisse colligendum est.

Sed controversia, quam modo dirempsimus, tantum ut quisque vidit, ad partem illorum « *Grandes Chroniques de France* » pertinet quae historiam nostram ab originibus usque ad tertium decimum saeculum amplectitur. Ex illo enim tempore gallice tantum scripta fuit compilatio, ita ut non abhinc ex alio fonte quae Gaguinus narrat omnia fluere universi consentiant[2]. Ex ordine enim singula eorum scripta, qui opus a Mathaeo Vindocinensi inchoatum confecerunt, diligenti imitatione consequitur adeoque nimia ut, in principatu Caroli septimi exponendo, de quo multum esse spei nobis licebat memorabilia quaedam atque peculiaria, quorum etiam testis foret ipse Gaguinus, posse reperiri, Johannis Chartier, qui « *Les Grandes Chroniques de France* » ultimus ex auctoritate publica composuit, narrationem breviter modo contrahat.

In priore illa Compendii parte unius facti Gaguinus ante ceteros historiarum scriptores testis esse videtur; quod tamen non ei magnae laudi tribuendum est. Constat enim tam

1. R. Gaguini *Compendium de Origine et gestis Francorum*, fol. 28 r°.
2. Lacabane, *op. cit.*, p. 61.

vulgatam de Yvetoti regno condito traditionem, quam nunc commemoro ejusque Gaguinus auctor, manifesto esse falsam. Operae tamen pretium est scriptoris nostri narrationem hic referre. « Priusquam a Clotario discedo, inquit, illud non praetermittendum reor quod, cum maxime cognitu dignum est, mirari licet a nullo franco scriptore litteris fuisse commendatum. Fuit inter familiarissimos Clotarii aulicos Galterus Yvetotus Caletus agri Rhotomagensis apprime nobilis et qui regii cubiculi primarius custos esset. Huic pro sua integritate de Clotario cum melius meliusque in dies promereretur, reliqui aulici invident depravantes quodlibet ab eo gestum, nec desistunt donec irritatum illi Clotarium pessimis susurris efficiunt. Quamobrem jurat Rex se hominem necaturum. Praecepta Clotarii indignatione, Galterus pugnator illustris cedere Regi irato constituit. Igitur derelicta Francia, in militiam adversus religionis catholicae inimicos pergit, ubi decem annos multis prospere gestis rebus, ratus Clotarium simul cum tempore mitiorem effectum, Romam imprimis ad Agapithum pontificem se contulit. A quo ad Clotarium litteris impetratis ad eum Suessione agentem se protinus confert, veneris die quae Parasceve dicitur, cogitans religiosam Christianis diem ad pietatem sibi profuturam. Verum litteris Pontificis exceptis, cum Galterum Clotarius agnovit, vetere ira tanquam recente livore percitus, rapto a proximo sibi equite gladio, hominem statim interimit. Tam indignam insignis atque innocentis hominis necem religioso loco et die ad Christi passionem recolendam celebri, Pontifex inaequanimiter ferens, confestim Clotarium reprehendit, monetque iniquissimi facinoris rationem habere, se alioquin excommunicationis sententiam subiturum. Agapithi monita reveritus Rex, capto cum prudentibus consilio Galteri heredes et qui Yvetotum deinceps possiderent ab omni Francorum Regum ditione atque fide liberavit, liberosque prorsus fore suo syngrapho et regiis scriptis confirmat. Ex quo factum est ut ejus pagi et terrae possessor regem se Yvetoti hactenus sine controversia nominaverit. Id autem anno Christianae

gratiae quingentesimo trigesimo sexto gestum esse indubia fide invenio[1]. »

Abbas de Vertot, in jucunda disertaque disputatione, quam in compilationem inseruit, cui nomen « *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres* » inscriptum, errorem istum de Yvetoto ex dominio in regnum mutato princeps omnino solvit. Hoc premit primum argumentum Gaguinum facti commemorandi auctorem esse. « Haud ullus, inquit, aequalis temporibus illis, quibus rem evenisse dicunt, nec post omnes ejus aetatis viros, per nongentos annos, scriptor exstat qui haec affirmet. Praeclarum illud factum a Roberto Gaguino, historico scriptore, quinto decimo saeculo vivente illustratum fuit, qui se etiam gloriatur primam ejus mentionem, ut posteris traderet, fecisse. Propterea, insuper ait Vertot, haud sine jure de illo facto dubitare licet; sed quam multa haud verisimiliter et false dicta Gaguini narratio contineat, animadvertere satis est ad ejus inanitatem demonstrandam. Primo enim, tempore de quo loquitur Gaguinus, partem Galliae ubi Yvetoti regnum situm est, non Clotarius rex, sed Childebertus Lutetiae rex possidebat. Quod factum, tametsi magni refert, auctor noster omnino neglexit. — Jam vero anno 536, quo rem relatam evenisse dicit, Papam Agapitum non Romae sed Constantinopolis, ubi vicesimo altero Aprilis die eodem anno mortuus est, mansisse constat. Num igitur cum Galterus, vicesimo tertio Martii, ad Christi passionem recolendam celebri die, anno 536, occisus sit, spatio menstruo ad nuntiata de caede accipienda excommunicationisque contra minas ad Clotarium mittendas satis temporis papam habuisse verisimile est ? — Tertio denique « Yvetoti » nomen non alibi apparet quam in chronicis chartisque, undecimo saeculo, circiter annum 1066 scriptis, quo etiam tempore non aliter quam « Sires d'Yvetot » pagi ejus et terrae possessores vocantur. Ab anno 1066 usque ad

1. R. Gaguini *Compendium de origine et gestis Francorum*, fol. 9 r° et v°.

ultimam quarti decimi saeculi partem de illis tanquam de quibusdam Normanniae ducum vassalibus scriptores mentionem faciunt. Quaedam autem circa annum 1392 illis data privilegia non magni referunt.

In summa, ait Vertot, argumenta sua colligens, hoc maxime constat Yvetoti dominium in Caletorum pago situm omnibus iisdem privilegiis frui, quibus nobilia et libera allodia, eaque terrae data esse, quam plerique regnum falso vocant[1].

Difficile quidem videtur atque etiam insanum, tam docta pressaque refutatione audita, auctoritatem ullam Gaguini narrationi adjungere. Pro non dubio sumendum est auctorem nostrum charta aliqua falsa deceptum esse. Restat tantum ut factum, quod unum aliquam delectationem vel pondus primae Compendii parti afferre potuit, incredibile falsumque esse doleamus.

Pars vero historiarum, in qua Gaguinus Ludovici undecimi, Caroli octavi, partimque Ludovici duodecimi regna exponit, menti nostrae parte altera perlecta haud jucunde affectae, quodam modo in solatium cedit. Non quod in posteriore narrationis suae portione quid proprie ac peculiariter in historia scribenda valeat, auctor praeclare ostenderit, sed quod multa magni momenti sunt hic relata quae ad supplendas ceterorum aequalium scriptorum historias excerpere velles. Narrat enim facta quibus adfuit, aliquandoque etiam praefuit.

De Ludovici undecimi regno, etsi non dignum est Gaguini opus quod ejusdem pretii atque Thomae Basini opera aestimetur, hoc tamen noster auctor magno praestat quod aequo honestoque animo de rege loquitur. Nonnusquam Gaguinus Thomam Basinum reprehendit quod Ludovici XI « contemptor » fuerit[2]. Talia autem auctor noster Lexo-

1. *Mémoires de littérature tirés des registres de l'Académie royale des Inscriptions et Belles-Lettres depuis l'année* 1711 *jusques et y compris l'année* 1717. T. IV, p. 728-743. (Vertot, *Dissertation sur l'origine du Royaume d'Yvetot.*)

2. Cf.: Quicherat, *Thomas Basin, sa vie et ses écrits.* (*Bibl. de l'École des Chartes*, Ia series, t. III, p. 371.)

viorum episcopo crimini jure dedit, quippe qui veteris sui domini memoriam plerumque honori ipse habeat. Fabulam eam si omittimus, ex qua Ludovicus XI puerorum tenerorum sanguinem, ut corpori suo debili vires majores suppeditaret, bibisse dicitur, quae a Gaguino si non ficta at saltem vulgata maxime fuit, auctorem nostrum fatendum est, quanquam, ut scimus, decedens ex Germania usque in regni exitum alienatus fuit ideoque non plurimis causis caruit, cur ex principe, qui ab amicitia sua illum tam aspere removerat, ultionem aliquam teneret, erga Ludovicum undecimum tamen satis aequabilem juris rationem tenuisse.

Illud praeter meritum ad historiam totam Ludovici undecimi pertinens, de factis regni singulis Gaguinum multa magni pretii momentique attulisse animadvertimus. Primum enim solet de legationum suis temporibus facto commercio comperta multa habere, ut de legatione a rege nostro ad Germanicos principes anno 1477 missa, cujus ipse, — nemini quidem hoc excessit, — particeps fuit, eamque unus ordine atque copiose narratam tradidit[1]; — de foederibus quoque velut iis apud Conflantem et Sanctum Maurum conscriptis, ad quae pertinens magni momenti factum a Gaguino refertur : illo enim uno auctore scimus Ludovicum undecimum, cum Campaniam fratri suo apanagium denegavit, Normanniam autem dedit, ab Johanne Heberto atque Balua, Andegavensi episcopo, ad hoc hortatum fuisse, quod sapienter ambo fecerunt. Si enim Campaniam fratri suo rex concessisset, periculum esset ne Carolus Biturigensis et Carolus dux Burgundiae, vicini facti, se arcte jungerent. Normannia autem data, quam provinciam pro suo jure Britanniae dux vindicaret, inter illum et Carolum Biturigensem dissensio orta est, quam rex Galliae magno fructui habuit[2]. Animum quoque historicus noster scriptor ad commercium inter

1. R. Gaguini *Compendium de origine et gestis Francorum*, fol. 57 r° et v°.
2. *Ibid.*, fol. 142 r°.

Galliam Britanniamque factum adeo attendit, ut facta aliquot ad hanc consuetudinem pertinentia solus posteris tradiderit. Loci quoque non omittendi sunt, ad curiositatem commovendam tam proprii, ubi vel mores Ludovici undecimi, salibus amaris facetiisque superantis, depingit[1], vel saxorum jaculatorem cylindrum, — *bombardam,* — describit[2]; vel res circa litterarum studium notat, ut laudes, in quibus magistri sui familiarissimique Guillelmi Ficheti scientia tunc celebratur[3]; vel denique, in exitu decimi libri Compendii, de Ludovico undecimo epigramma componit.

Caroli autem octavi regnum narrando nos imprimis auctor detinet, cum principis pueri institutionem refert curamque quam filio suo educando magnam, — minimam vero si rumor vulgatus creditur, — Ludovicus undecimus dedit[4]; vel cum legationes, quibus ab anno 1486 ad annum 1492 praefuit, singillatim exsequitur[5]; vel praesertim cum juvenis regis exsequias pompamque funebrem describit[6]; descriptio illa magnam partem, dimidium paene, in narratione regni tenet et digna est quae tota legatur.

Ludovici duodecimi regnum usque ad mensem Januarium anni 1499 exponitur. Per partes auctor ostendit quo apparatu in Italiam iterum iretur, quam ob causam de historia Galliae Italiae historicis rebus collata satis intempestive disserit[7]. Nos potius juvat, cum multa a Gallis in Peninsula italica praeclare gesta memorat, a civitatibus Insubrium Gallica gente conditis usque ad Andegavensem domum Neapoli regnantem, neque omissis Caroli Magni in Longobardia victoriis[8]. Unde apparet quanto favore Italica bella, quae haud parvo impendio fore debebant, in Gallia fruerentur et

1. *Ibid.*, fol. 141 r°.
2. *Ibid.*, fol. 158 r°.
3. *Ibid.*, fol. 140 r°.
4. *Ibid.*, fol. 161 r°.
5. *Ibid.*, fol. 161 v°-162 r°.
6. *Ibid.*, fol. 163 r°-164 v°.
7. *Ibid.*, fol. 167 r° et v°.
8. *Ibid.*, fol. 167 v°.

quo modo aetatis illius scriptores ea ex traditione quadam gloriosa manare contenderent. Digni quoque sunt qui laudentur loci ubi Ludovicum duodecimum cum Universitate disputantem, summa veritate narrat[1] et pontis parisiensis « Pont-Neuf » appellati casum cum vivida mente describit. Curatorum neglegentia qui, etsi a machinatoribus moniti, nihil ad praevertendam hanc cladem fecerant, magistratus commoti conturbatique, perterriti pontis incolae, servati plerique, lotoria autem, aetate adhuc tenera, aquarum aestu recedente intercepta, fluctibusque mersa, omnia illa Gaguino permiserunt, casum pontis narrando, mores veteris Lutetiae magna similitudine depingere artemque ornate scribendi haud spernendam ostendere[2].

Alii aliter existimaverunt cum de scientia, tum de arte Gaguini. Haud pro dubio est gravissimam apud litteratissimos illius aetatis homines auctoritatem Compendium habuisse. Nobis argumento sunt litterae quas ei, ut gratularentur, plurimi miserunt, easque sive in priorem editionem, sive in tres posteriores in lucem sua aetate emissas inseruit.

Honestissime probatus est ab illustri Erasmo Rotterdamensi, cui opus suum manu scriptum sane detulit, quippe qui epistulam doctissimi illius viri in prima Compendii editione impresserit. Haec epistula immodicarum laudum plena est: cum de materia historiae ejus existimat, Erasmus Gaguinum dicit « fidem et eruditionem » habere, quae, utpote historico cuique scriptori maxime necessaria, Compendiique auctori praecipue data, hunc ad opus, quod nunc perfectum est, aggrediendum paratissimum effecerant. Illi ceterum, qui in rebus publicis secretisque etiam regum consiliis versatus esset, Francorum historia narranda erat, honorificum quidem munus! Sed praesertim cum de compositione et stylo loquitur, nimius est in laudando. « Quis Franciam,

1. *Ibid.*, fol. 165 v°-166 r°.
2. *Ibid.*, fol. 168 v°-169 r°.

inquit, non fortunatissimam censeat quae Robertum suarum laudum praeconem optimum nacta sit?[1] » De arte scribendi deinde Gaguinum Sallustio et Tito Livio confert, contenditque elegantiam Sallustii Livii ubertati junxisse. « Tanta est autem narrationis vivacitas ut res geri non narrari videntur. Neque vero deest dulcis quaedam brevitas quae historicis ut rara ita gratissima lectoribus est[2]. » In fine Galliam adloquitur : « Amplectere igitur, o Francia, ait, immortale laudum tuarum monimentum, Robertum Gaguinum alumnum immortalitatis tuae vindicem, ama, cole, venerare![3] »

Ceteri Gaguini laudatores, Cornelius Girardus, Jossius Badius, Faustus Andrelinus minus quidem incitatam admirationem ostendunt, sed argumento tamen sunt litteratos viros *Compendium de gestis et origine Francorum* cum magno favore excepisse.

Vulgi autem studia non pariter accensa fuerunt, hasce videlicet propter duas causas :

I° Primum enim opus non aliis atque doctorum hominum manibus versari poterat, quippe quod latine scriptum esset. Hoc igitur Gaguino vitio datum fuit, sed in praefatione secundae editioni addita, scriptor noster illius exprobrationis, tantum ut eam contemnat, mentionem facit[4].

II° Opus deinde, quod ratio gravis fidesque praecipue commendabant, nihil habebat quo vulgi curiositas contenta esset vel mentes caperentur. Ex epistula quadam Gaguini ipsius, Compendium plus aequo densum et breve et exile non uni visum esse discimus[5]. Hoc commotus, locos plurimos in quarta libri editione iterum tractavit.

Nihil est tamen nimis augendum : animadvertenti enim

1. « Herasmus Rotterdammus Roberto Gaguino viro undecumque doctissimo. » (In fine *Compendii de origine et gestis Francorum.*)
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*
4. *Compendium* (1501), fol. 1 r°. — Cf.: A. Thierry, *op. cit.*, p. 548.
5. A. Thierry, *op. cit.*, p. 548.

quindecim editiones latinas ab anno 1495 usque in annum 1586 vulgatas esse, translationem vero Compendii, in lucem anno 1514 primo editam, septies usque in annum 1538 typis mandatam, honorem et famam quae pro suo generoso conatu, ut patriam historia donaret, sane meritus erat, Gaguinus accepisse videtur.

Septimo et octavo decimo saeculo Gaguinus minimam admirationem movit. Eum Mézeray contemnit; Dupleix vituperat. « Jean Chartier, Nicole Gilles et Robert Gaguin, inquit, ont écrit l'histoire de France d'un style inégal et grossier et ont laissé glisser des erreurs et même des contes fabuleux de romans. [1] » Vehementior est Sorel in libro cui titulus *Avertissement sur l'histoire de la Monarchie* inscribitur. « Parmi les autheurs, dit Sorel, qui ont recueilli nos antiquités, il n'y en a point qui aient paru devant Robert Gaguin et Nicole Gilles, comme s'ils estoient les premiers entrepreneurs de cet ouvrage. Mais ils sont bien les derniers en éloquence et en force de jugement. Ils ont écrit d'une manière si barbare qu'il semble que leurs livres aient esté faits dans un siècle entièrement éloigné de la discipline des bonnes lettres. Ils s'imaginoient encore qu'ils écrivoient quelque roman des Chevaliers de la Table Ronde, en sorte que croyans estre obligés de rendre leurs narrations les plus plaisantes qu'ils pouvoient, ils y mettoient toutes les fables qu'ils avoient ouy dire ou qu'ils avoient inventées. Pour le latin de Gaguin il ne vaut guère mieux que le françois de Gilles[2]. »

Octavo decimo tamen saeculo abbas Legendre causam Gaguini suscipit. Historiam ejus dicit legentem delectare, neque longiorem esse, neque breviorem, auctorem narrationes jucunde ducere, nihil momenti ullius omittere, de rebus etiam eo tempore gestis libere loqui[3].

1. Dupleix, *Histoire générale de la France*, t. I, p. XI.
2. Sorel, *Avertissement sur l'histoire de la monarchie*, p. 12-14.
3. Legendre, *Vie du cardinal d'Amboise*, t. II, p. 93.

Haud utile est de diversis illis sententiis disserere, nam monumenta quaerendo, quibus fretus historiam suam Gaguinus composuerit, quae materia operis esset, et quanti valeret vidimus. Ars vero scribendi neque immodicas Erasmi laudes, neque Soreli contumelias meret. Haec vero ad concludendam disputationem nobis animadvertere liceat : Gaguinum enim Sallustii elegantiam cum ubertate Titi Livii junxisse contendit jam laudatus Erasmus ; qui nobis non modo laudes opinione vera majores tribuisse, sed etiam tota via erravisse videtur. Nam Gaguinus noster neque circuitum verborum amplum et gravem, quem bene concludit Titus Livius, neque sententias Sallustii argutas imitatus est. Nobis autem, si Gaguini oratio probati alicujus scriptoris orationi, cujus vestigia in Compendio deprehendere liceat, conferenda sit, Caesarem contendamus Gaguino fuisse praesertim exemplo. Haud semel enim narrationis color, verborum conjunctiones verba quoque Compendii Commentarios quodam modo redolere videntur. Quod intellectu facile est cuilibet cogitanti Gaguinum, antequam Compendium suum conderet, *Commentarios J. Caesaris de Bello Gallico*, ut se ad scribendam historiam pararet, in gallicam linguam transtulisse. Nil igitur mirum si scribendi artem scriptoris usurpavit illius, cujus exemplaria ut transferret nocturna diurnaque manu et acri diligentia versavisset.

Praeter *Compendium* praecipuum opus historicum Gaguini, sunt qui contendant ab illo *Historiam rerum romanarum* conditam et opus, cui titulus « *La Chronique du faux Turpin* » inscribitur, in gallicam linguam translatum fuisse. Quarum opinionum unam P. Ignatius, in libro « Mémoires du diocèse d'Arras » dicto, in lucem edidit, *Historiam romanam* Gaguini dicens tria volumina in folio habuisse. Cum opus hoc non exstet, docti illius monachi opinionem confirmare nullo modo possumus. — Alteram vero Hain, in *Repertorio* suo, effert, cum asseverat translationis illius editionem vidisse cui titulus inscribitur : « *La Chronique ou histoire faite par le Révérend père en Dieu, Turpin, archevesque de Rheims, l'un des*

Pairs de France, contenant les prouesses de Charle Magne et de son neveu Rolland, traduit du latin en françois par Robert Gaguin, par ordre du Roy Charles VIIIe. Paris, s. a., goth. ch[1]. » Brunet contra in suo *Manuel du libraire* asserit se nunquam editionem illam vidisse, eamque immo exstitisse non certum existimat. Sententia enim Bruneti translatio prima, quae nota sit, *Chronicorum falsi Turpini* in lucem edita anno 1527, dedicataque fuit Francisco primo[2]. Nobis autem, quanquam frustra conati sumus editionem ab Hain relatam reperire, *Chronica falsi Turpini* a Gaguino certe quidem translata fuisse asseverare licet. Nam in epistula Carolo VIII dedicata eademque praefatione Commentariorum J. Caesaris de Bello Gallico ab eo gallice translatorum, auctor noster hoc profiteri videtur. Sic enim Regi scribit : « Puis naguères il vous a pleu recevoir débonnairement et prendre en gré le petit livre des faiz du glorieux empereur et roy sainct Charlemaine mis par moi et translaté de latin en françoys. »

Auctores denique, falsa scientia decepti, Robertum Gaguinum historiam sui ordinis reliquisse contendunt. Sic Ministrorum generalium ordinis catalogum verisimiliter significant, quem Toussaint-Duplessis a Gaguino compositum fuisse nobis tradidit[3].

1. Hain, *Repertorium*, t. II, p. 438.
2. Brunet, *Manuel du librairie*, t. V, col. 981.
3. Toussaint-Duplessis, *Histoire de l'Église de Meaux*, t. I, p. 567.

CAPUT SECUNDUM.

DE GAGUINO HUMANISTA.

Qui ad illius sapiendi scribendique progressionis studium sese contulerunt, qua, sub quinti decimi saeculi fine orta, litterarum artiumque instauratio in Europa jam significata atque praeparata est, tardius eorum, qui apud Gallos doctrina eruditi fuerunt, suam cuique laudem reddere curaverunt. Attamen ut italici germanicique clarissimi viri, ita nostri, cum litterarum et scientiae insignem causam suscepissent, pro sua quisque parte, materiam novam ad sentiendum, novam artem ad scribendum hominum societati, senectute jam confectae, attulerunt[1].

Quorum in numero dignus sane Gaguinus qui non in primis quidem, sed honesto tamen loco, triplicem propter causam adscribatur :

I° Ex eo primum quod non solum cum Erasmo, Marsilio Ficino, Guillelmo Ficheto, inter humanistas clarissimis, aliquid rationis habuit sed etiam apud illos in magna laude et honore fuerit, facile intelligitur quantum inter doctissimos, sub quinti decimi saeculi fine viventes, viros locum obtinuerit.

II° Summa rerum scientia quae apud Graecos et Romanos gestae scriptaeque sunt, atque acerrima diligentia qua haec studia colere semper solitus est, dignus insuper videtur qui humanista appelletur.

1. A. Thomas, *De Johanne de Monsterolio*, p. 48 et *passim*.

III° Adde quod eum aliquot scripta quae, si ad scribendi artem spectes, minime spernenda sunt, composuisse sufficiat ut eam laudem merito adeptus sit.

I.

Eruditos inter viros qui cum Gaguino commercium, ut docti iidemque amici habuerunt, nullum auctor noster carius quam clarissimum Guillelmum Fichetum dilexit. Gaguinum scimus, cum primum studiis colendis in Universitate se dederet, Ficheti discipulum amicumque mox familiarissimum fuisse, ita ut, instigante et regente Ficheto, Universitatis professorum novus auditor totus se ad studium rhetoricae artis contulerit, cujus edocendae honorificum munus, post magistrum suum, ipse suscepit.

Sed rei cujusdam gratia, a magistro discipuloque communiter gestae, eorum nomina cum pari laude jungenda sunt, typographiae scilicet Lutetiam introductae, primaeque officinae typographicae ibidem conditae, cui operi ambo incubuerint. Fichetus enim et Gaguinus cum Johanne Heylino, Sorbonae bibliothecario, Lutetiam arcessiverunt et in Sorbonae aedibus collocaverunt basilenses tres typographos, Ulrich Gering, Michaelem Freyburger et Martinum Crantz (1468-1469)[1]. Quo modo facti illius memorabilis Gaguinus particeps fuerit, non plane quidem et distincte scimus ; at saltem illum rem diligenter curavisse atque operi incepto perficiendo laborem atque scientiam omnem insumpsisse pro certo habemus. Talia communiter gerendo, Fichetus Gaguinusque arctius copulati, amicitiae bonaeque opinionis mutuae nova pignora atque indicia inter se commutaverunt, hic insertis post Ficheti « Rhetoricam » quatuordecim distichis, quibus magistri, qui illum quondam instituerat,

1. Philippe, *Guillaume Fichet et l'introduction de l'imprimerie à Paris*, p. 92-94.

laudes canebat[1]. — ille dedicata, in speciem epistolae ad discipulum, quem olim docuerat, missae, editione Gasparini Bergamensis operis, cui nomen « Orthographia », quam comparaverat. Epistola illa Ficheti digna est quae nos detineat, quippe quae non solum illum Gaguino amicissimum fuisse indicet, sed etiam laudibus amico suo effusis hunc jam anno 1472 in litterarum studio prospere versari auspiciaque futurorum operum ab ornatis amplificationibus incipere testimonio sit[2].

Sed eodem anno 1472 sejuncti sunt ambo amici, cum Fichetus Lutetiam reliquit, ut Cardinalem Bessarionem Romam a Sixto Quarto accitum sequeretur. Gaguinus autem, etsi moerore confectus, Pontifici quod tam doctum bonumque virum ad se vocavit in eloquentissimo carmine gratulatur. Exstant insuper quinae Gaguini litterae ad magistrum suum extorrem missae, quae eum quantum Ficheto deberet et qua jucunda familiarissimaque consuetudine cum magistro suo annis superioribus usus esset, nunquam oblitum esse ostendant[3].

Reuchlinus, quem olim docuerat, Marsilius Ficinus Platonis translator[4], Faustus Andrelinus, poeta laureatus et Universitatis professor, Jacobus Wimphelingus, vir doctus Spirensis, adscribendi quoque sunt in numero eorum qui amicitiae vel epistularum consuetudinem cum Gaguino habuerunt.

Sed honori summo praesertim fuit Gaguino usus qui inter eum illustremque Erasmum intercessit. Vidimus jam, Compendium examinando, quanti Erasmus Ministri generalis Mathurinorum opera scientiamque aestim[illegible] Gaguini no[illegible]titiam habuerat, dum Lutetiae anno 149[illegible] versatur et fortasse Mathurinorum M[illegible]

1. *Ibid.*, p. 117-119.
2. *Ibid.*, p. 122-126.
3. Gaguinus Ficheto. (*Epistolae* [illegible] 13 v°, 15 r°.) — Philippe, *op. cit.* [illegible]
4. Gaguinus Marsilio Ficino. [illegible]

Universitate docentem audiverat. Quidquid est, ex litteris inter Erasmum Gaguinumque assiduis servatae plurimae quam intimam amicitiam inter se conglutinassent nobis indicant[1]. Semper enim Erasmus multus in admiratione Gaguini videtur, saepe etiam judicium scientiamque amici ad antiquos auctores intelligendos auxilio vocat. Aegre igitur nobis commemorandum est Erasmum viri, qui illi quondam amicissimus fuerat, et beneficia multa detulerat, ita immemorem fuisse ut in suo « Ciceroniano » contemneret. « Robertus Gaguinus, inquit, ita pridem habitus fuit magni nominis, dictione tamen quam scriptis vendibilior ; verum nostro saeculo nunc vix inter latine loquentes reciperetur[2] ». Aequabilius in litteris ad auctorem Compendii missis laudes, in suo « Ciceroniano » vituperationes Erasmus temperavisset.

II.

Utique quanta fama apud litteratissimos suae aetatis viros Gaguinus frueretur nobis aestimare nunc licet. Eam autem approperandum est Sanctae Trinitatis ministri ingenti scientia disertaque humanitate bene meritam monstrare. Ex plurimis enim Erasmi epistulis Gaguinum discimus amplam splendidamque bibliothecam sibi composuisse, adeoque rara volumina collegisse ut ipse Erasmus, cum illa Gaguinus ei communicare haud negaret, saepissime laetandi causas invenerit. Gaguinus ceterum cum maxima benevolentia semper annuebat. Interdum Macrobii opera sibi commodanda Erasmus petit : « Est mihi, scribit, cum Macrobio, homine, — ut scis, — perquam festivo, aliquot dierum colloquium. Eum quaeso ut e tua doctissima bibliotheca ad nos ire jubeas. Nam tu quidem in tanta optimorum auctorum copia Macrobium unum non desiderabis et nos in hac nostra inopia vehementer

uinus Erasmo. (*Epistolae et orationes*, fol. 48 v°, 53 v°, 54 r°.)
mi *Ciceronianum*. (*Opera omnia*, t. II, p. 525.)

laudes canebat[1], — ille dedicata, in speciem epistolae ad discipulum, quem olim docuerat, missae, editione Gasparini Bergamensis operis, cui nomen « Orthographia », quam comparaverat. Epistola illa Ficheti digna est quae nos detineat, quippe quae non solum illum Gaguino amicissimum fuisse indicet, sed etiam laudibus amico suo effusis hunc jam anno 1472 in litterarum studio prospere versari auspiciaque futurorum operum ab ornatis amplificationibus incipere testimonio sit[2].

Sed eodem anno 1472 sejuncti sunt ambo amici, cum Fichetus Lutetiam reliquit, ut Cardinalem Bessarionem Romam a Sixto Quarto accitum sequeretur. Gaguinus autem, etsi moerore confectus, Pontifici quod tam doctum bonumque virum ad se vocavit in eloquentissimo carmine gratulatur. Exstant insuper quinae Gaguini litterae ad magistrum suum extorrem missae, quae eum quantum Ficheto deberet et qua jucunda familiarissimaque consuetudine cum magistro suo annis superioribus usus esset, nunquam oblitum esse ostendunt[3].

Reuchlinus, quem olim docuerat, Marsilius Ficinus, Platonis translator[4], Faustus Andrelinus, poeta laureatus et Universitatis professor, Jacobus Wimphelingus, vir doctus Spirensis, adscribendi quoque sunt in numero eorum qui amicitiae vel epistularum consuetudinem cum Gaguino habuerunt.

Sed honori summo praesertim fuit Gaguino usus qui inter eum illustremque Erasmum intercessit. Vidimus jam, Compendium examinando, quanti Erasmus Ministri generalis Mathurinorum opera scientiamque aestimaret. Gaguini notitiam habuerat, dum Lutetiae anno 1492 et iterum anno 1494 versatur et fortasse Mathurinorum Ministrum Generalem in

1. *Ibid.*, p. 117-119.
2. *Ibid.*, p. 122-126.
3. Gaguinus Ficheto. (*Epistolae et orationes*, fol. 9 v°, 10 r°, 13 r°, 13 v°, 15 r°.) — Philippe, *op. cit.*, p. 153-161.
4. Gaguinus Marsilio Ficino. (*Epistolae et orationes*, fol. 45 r°.)

Universitate docentem audiverat. Quidquid est, ex litteris inter Erasmum Gaguinumque assiduis servatae plurimae quam intimam amicitiam inter se conglutinassent nobis indicant[1]. Semper enim Erasmus multus in admiratione Gaguini videtur, saepe etiam judicium scientiamque amici ad antiquos auctores intelligendos auxilio vocat. Aegre igitur nobis commemorandum est Erasmum viri, qui illi quondam amicissimus fuerat, et beneficia multa detulerat, ita immemorem fuisse ut in suo « Ciceroniano » contemneret. « Robertus Gaguinus, inquit, ita pridem habitus fuit magni nominis, dictione tamen quam scriptis vendibilior ; verum nostro saeculo nunc vix inter latine loquentes reciperetur[2] ». Aequabilius in litteris ad auctorem Compendii missis laudes, in suo « Ciceroniano » vituperationes Erasmus temperavisset.

II.

Utique quanta fama apud litteratissimos suae aetatis viros Gaguinus frueretur nobis aestimare nunc licet. Eam autem approperandum est Sanctae Trinitatis ministri ingenti scientia disertaque humanitate bene meritam monstrare. Ex plurimis enim Erasmi epistulis Gaguinum discimus amplam splendidamque bibliothecam sibi composuisse, adeoque rara volumina collegisse ut ipse Erasmus, cum illa Gaguinus ei communicare haud negaret, saepissime laetandi causas invenerit. Gaguinus ceterum cum maxima benevolentia semper annuebat. Interdum Macrobii opera sibi commodanda Erasmus petit : « Est mihi, scribit, cum Macrobio, homine, — ut scis, — perquam festivo, aliquot dierum colloquium. Eum quaeso ut e tua doctissima bibliotheca ad nos ire jubeas. Nam tu quidem in tanta optimorum auctorum copia Macrobium unum non desiderabis et nos in hac nostra inopia vehementer

1. Gaguinus Erasmo. (*Epistolae et orationes*, fol. 48 v°, 53 v°, 54 r°.)
2. Erasmi *Ciceronianum*. (*Opera omnia*, t. II, p. 525.)

delectabit[1] ». Interdum « De Rhetoricis praeceptionibus » tractatum a Trapezontio compositum, quem « Institutioni oratoriae » Quintiliani vult conferre, petit Erasmus[2]. Quidque quaesitum Gaguinus praestare potest. Nobis enim librorum accerrimi amatoris, augendae bibliothecae semper cupidi, specie induitur. Quam dulces igitur horas in officina amici sui Pascasii librarii consumebat, qui volumina acquirenda cum tanto judicio tantaque sagacitate ei indicabat![3] Quam vividum Gaguino gaudium, cum ex Italia afferrentur tanti pretii codices tantoque sumptu editiones factae ut aequalium nostrorum, sive in scientia, sive in artibus versatorum, appetentiam adhuc moveant![4] Jam vero non plerosque librorum amatores imitabatur quibus libros colligere et in bibliothecae loculamentis locare satis est, sed eos etiam iterum atque iterum legebat. Amico, qui sua negotia ab eo quaesivit, qua in jucunda opera tempus insumat respondens dicit : « Urbanarum rerum non anxie curiosus bonam diei partem domi exigo, ubi cum libellis meis confabulor, qui me per orbem circumferunt, dum alius in Asia, alius in Lybia, alius per Latium et Gallias res olim gestas refert. Nec in terris mussito semper, feror interdum altius et proxime ad superos rapior lectione sacrarum scriptionum[5] ». Tam frequenter autem antiquos auctores omnibus in suis scriptis commemorare solet, ut eum opera multa variaque legisse suspicari possimus. Ciceronem enim, Caesarem, Titum Livium, Plinium, Vergilium, Horatium, Lucanum, Ovidium, Terentium, Juvenalem, Persium, Martialem, Boetium novit. Sed, ut natura temporum comparatum fuit, in litterarum graecarum studio minus versatus erat ; ne linguam quidem graecam forsitan sciret ; at saltem translatos latine Aristotelem, Stra-

1. Erasmus Roberto Gaguino, MCCCCXCIX. (*Epistolarum Erasmi libri XXXI* ; L. IV, ep. 26, c. 295.)
2. Erasmus Gaguino, MCCCCXCIX. (*Ibid.*, L. V, ep. 16, c. 316.)
3. R. Gaguinus Guillelmo Ficheto. (*Epistolae et orationes*, fol. 14 r°.)
4. *Ibid.*
5. R. Gaguinus Johanni Driesco. (*Epistolae et orationes*, fol. 23 v°.)

bonem partimque Platonem legerat. Scientia igitur dignus videtur quem Fichetus, Erasmus, Ficinus amicitiae epistularumque consuetudine sibi devinctum tenuerint, nos autem in humanistarum numero honesto loco adscribamus. Multa praeterea ingenii sui monumenta, quae nobis nunc perpendenda sunt, eum in illo loco stabiliunt.

III.

Dixit aliquis tria esse in humanis artibus colendis momenta quae ex ordine emetiri, quicumque his studiis incumbere coeperunt, plerumque solent: primo scilicet admirari, imitari deinde, denique aemulari. Primo enim egregia exemplaria imitamur, opera deinde traducimus, vel imitamur, tertio denique nostra sponte scribere conamur[1].

Auctorem nostrum jam vidimus cum subtili judicio antiquos auctores admiratum esse multaque legendo multa didicisse, ita ut officio, cui viri litteris dediti primum satisfacere debent, Gaguinus functus esse jure videatur.

Inceptum quoque secundum ei successit, imitatio scilicet vel traductio ; nam litterarum viam ingrediens, octo Caesaris Commentariorum de Bello Gallico libros gallice transtulit, annoque 1485 in lucem edidit cum hoc titulo : « *Les commentaires de Jules Caesar sur le faict de la conqueste du païs de Gaule, mis en francoys et présentez au roy Charles VIII*[e] *par Robert Gaguin, docteur en décret et général Ministre de l'ordre des frères de Saincte Trinité et rédemption des prisonniers chrestiens.* » Opus illud, ut breviter loquar, doctrinae scientiaeque auctoris nostri summam laudem conciliat[2].

1. Faguet, *Sur l'Alexandrinisme*. (*Revue des Deux Mondes*, I[a] die maii 1894, p. 133.)

2. In transferendis enim *Commentariis de Bello Gallico* argutus fuit et fide paene dicam religiosissima. Deploro tantum quod Gaguinus ad translationem illam conficiendam textu, sive manuscripto, sive typis mandato,

Proprium denique aliquid et peculiare Gaguinus scripsit, in quo nos diutius commorari decet. Quam novata arte usus sit intelligemus, si ejus litteraria opera ex ordine perspiciemus, circa quattuor haec capita glomerata:

1. Carmina,
2. Ars versificatoria,
3. Epistulae,
4. Orationes.

1. *De Gaguini carminibus.* Pleraque carminum suorum latine Gaguinus scripsit et nonnulla ad res publicas pertinentia, ideoque maxime ad delectationem utilitatemque nostram apta, in Compendium inclusit. Epigramma de Ludovico undecimo scriptum, ubi poeta regem mortuum loquentem ostendit, quid de principe illo sentirent et Gaguinus singulatim et aequales in universum nobis aperit[1];

pessimo usus sit. Unde factum est ut nomina multa hominum et locorum praesertim sint in opere ejus male adumbrata. Exemplo nobis erunt « Cativolcus «, qui « Latonultus » factus sit ; « Caninius », « Cavinus » ; « Velocasses », « les Mellocassiens » ; « Nitiobriges », « les Nytrobroges » ; « Gergovia », « Gergonia, Gorgonia » ; « Avaricum », « Anaricum » ; « Noviodunum », « Novirdunum » ; « Uxellodunum », « Vexellodunum » ; « Aduatuca », « Anatuca » ; « Vahalis », « Bacalus ». — Quod eo magis deploro quo Gaguinus majore laudabilioreque diligentia nomina locorum a Caesare prolata nominibus recentioribus assimilanda curare solet. Tale propositum ut assequatur, artificio quodam utitur, nomen loci, sive latina sive gallica quadam specie, priscum referens, deinque nomen loci recentius, dummodo hoc regioni, vel urbi, vel populo a Caesare indicato congruere ipsi videatur. Nostro igitur auctori aliquando bene evenit « Genabum » sic transferenti : « Genabun, que l'on dit Orléans » ; « Agendicum » : « Agendicum, c'est-à-dire Provins » ; « Morinos » : « les Morines, c'est-à-dire ceulx de Thérouenne » ; « Noviodunum Æduorum » : « Novirdunum (*sic*) des Éduens, c'est Nevers » ; « Menapios » : « les Ménapiens, que l'on dict les Gheldres et Clèves » ; « Caeroesos » : « les Cérésiens qui sont voisins de ceulx de Liège ». — Saepius vero accidit ut « Arduennam Sylvam » sic transferat : « la forest dardane » ; « Nemetocennam » : « Valenciennes » (Arras) ; « Velocasses : « les Mellocassiens (*sic*) que l'on dit ceulx du mont de Cassel » (Velocasses urbem praecipuam habebant Rothomagum — Rouen —) etc. — Multa denique alia nomina sub latina specie tantum refert : « Bacenis (silva) » scilicet « la forest de Bacenis » ; « Alesia » : « Alesia » etc...

1. R. Gaguini *Compendium*, fol. 160 v°.

alterum de morte Caroli octavi compositum miseratione, cujus plenum sit, nos commovet[1].

Illo in genere scriptorum numerare aequum est: carmen Caroli Dalphini et Margaritae filiae Maximiliani sponsaliis dedicatum[2]; aliud de Margarita eadem a Carolo octavo repudiata compositum[3]; aliud quo pacem inter Carolum octavum et Maximilianum ad Silvanectum junctam celebrat[4]; aliud denique in temerarios pacis illius detrectatores intentum[5], quae omnia ad eventus quosdam proprie pertinentia, arte haud inconcinna sunt. Hoc tamtum commemorabimus quippe quod optimum esse videatur :

DE CAROLI DALPHINI ET MARGARITAE FILIAE MAXIMILIANI SPONSALIIS GRATULATIO.

Jam satis armorum et diri certamina belli
  Mars dedit, ipsa Jovem numina sponte colunt.
Vidimus horrentes districtis ensibus agros,
  (Proh scelus), atque urbes funditus occidere.
Nemo domum tutus, silvas et pascua nemo,
  Dum furor arderet, hactenus incoluit.
Nunc tandem dextro veniens a numine sanctus
  Discordes Gallos conciliavit amor.
Felix connubium quo sic restinguitur ira,
  Quoque petita diu pax benedicta venit !
Salvete iuvenes ; te, natu Carole maior,
  Speratum Regem Gallia laeta canit.
Parva licet coniunx ductu nitatur euntis,
  Gestit et ipsa tuo ludere iuncta thoro.
Jam planta exurgens (te flexis versus ocellis)
  Oscula promittit qualia forte potest.
Interea solido dum fit maturior aevo,
  Te regem ingenuis moribus institue ;

1. *Ibid.*, fol. 165 r°.
2. *Epistolae et orationes*, in fine.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*
5. *Ibid.*

Illa tibi pulchram fecundo germine prolem
  Fundet et ad Rhenum te duce sceptra feret.
Et Liger et Rhodanus et largo fonte Garumna
  Flumine communi Theutonas excipiet.

Praeter ea, ex historicis rebus orta, quae Gaguinum religionis vel bonorum morum cura impulerunt ut faceret carmina annumeranda sunt. Religiosa inter carmina hoc est praecipuum in honore Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae compositum, de quo iterum quidem loquemur, cum de Gaguino theologo agetur ; sed id scribendi arte multum valere jamjam denuntiandum est. Pulcherrimi sunt ibi versus in honore Virginis Mariae,

. . . . Quae praeit una Deos,
Quam vestit pulchra radiorum lampade Phoebus,
  Cujus obit nitidos Luna corusca pedes.
. . . .
Haec illa est, veterum pulchre signata figuris
  Foemina, quae vincat Zeuxis et artis opus,
Cui cedit Rachel, cedit pulcherrima Judith,
  Et formosa Esther cesserit et Noemi ! [1]

Poematia quibus tituli inscribuntur vel « Meditatio de morte Christi » [2], vel « Elegia de misera hominis conditione » [3], vel « Elegia de variis vitae humanae incommodis » [4], vel « Passio sancti Richardi martyris » [5] commemorare quoque debemus, antequam carmina levia, sermoni mero propiora, in quibus excellit Gaguinus, dijudicanda aggrediamur.

Nonnulla poematiorum horum brevitate, alacritate, facetiis

1. Bonneau, *L'Immaculée Conception de la Vierge Marie*, *poème de Robert Gaguin*, p. 26.
2. *Epistolae et orationes*, in fine.
3. *Roberti Gaguini elegia de misera hominis conditione.* (*Epistolae et orationes.*)
4. *R. Gaguini de variis vitae humanae incommodis elegia*, Parisiis, 1498.
5. *Epistolae et orationes*, in fine.

digna sunt quae posteris tradantur. Carmen dictum « Jocus de hospita Vernonensi »[1] nimis sane ut Ministro Generali Mathurinorum jocosum solutumque est, sed adeo venustum atque elegans ut quidquid immodestissimum est facile ignoscamus. Lepidum quoque et jucundum est epigramma « Baculo suo »[2], ubi se poeta sub specie senis cujusdam invalidi depingit, adminiculum instabilis sui incessus adloquentis.

Jam vero carmina duo Gaguini gallice scripta exstant, quae illum vernacula sua lingua eadem arte atque latina usum esse, Musamque in sinu ejus conditam, submissam quidem, sed suavem ei jucunda carmina utraque lingua afflavisse ostendunt. Poematia ambo composita fuerunt, dum Gaguinus Londinii habitat, quo cum Francisco Luxemburgo et Carolo Marignyano missus fuerat. Cum hic in Galliam ire coactus fuisset, ut de lite, quam per se legati resolvere non poterant, regem consuleret, Gaguinus exspectans dum rediret, tempora otii fefellit componendo « le Passe-temps d'oysiveté »[3] alterumque poema dictum « Question meue entre Françoys Monsieur de Luxembourg et maistre Robert Gaguin ambassadeurs du Roy de France, pour scavoir d'où procedde vertu ou de nécessité ou de honnesteté[4] ».

Nos maxime juvat « Le Passe-temps d'oysiveté » cujus in nonaginta strophis septem octosyllaborum versuum se ostendit Gaguinus cum praecone « Chester » de bonis et malis pacis disputantem. Ipse colloquio praeest et Chesterio

1. *Epistolae et orationes*, in fine.
2. *Ibid.*
3. « S'ensuit le passe-temps d'oysiveté de maistre Robert Gaguin docteur en décret, ministre et général de l'ordre Saincte Trinité et Rédemption des captifs, pour le temps qu'il estoit à Londres en ambassade avec noble et puissant seigneur Francoys, Monseigneur de Luxembourg, pour le Roy de France, attendant le retour de noble homme Valleren de Saint, bailly de Senlis lequel estoit retourné en France devers ledict seigneur pour certains articles touchans la charge de l'ambassade, Mil CCCCIIII^xx^IX, au moys de décembre. » (A. de Montaiglon, *Recueil de poésies françaises des XVe et XVIe siècles, morales, facétieuses, historiques*, t. VII, p. 225-278.
4. A. de Montaiglon, *op. cit.*, p. 278-286.

vicissim ostendit mala pacis, si ad dandum animo corporique otium atque ad cupiditates nostras explendas ea tantum abutamur, bona, si ad mentem moresque nostros reformandos eam conferamus. Ea si forte abutamur, pax est calamitatum pessima :

Paix est ayse, ayse oysiveté,
Oysiveté songe à malice,
Malice convoite a planté,
Convoiteux n'a loy ny justice [1].
. . . .
Paix les délices entretient,
Les délices font l'homme gourt.

Illustria igitur exempla refert :

Alixandre, qui tant a de bruit
Comme preux et grant conquérant,
Il gousta de ce mauvais fruyt
Au païs de Perse la grant,
Ou par plaisance cuida tant
Que comme dieu on l'adoroit
Qui trop a trop se descongnoit [2].

Pourquoy tumba en la fontaine
Narcisus, et là se noya,
Sinon qu'en paix la souveraine
Ses plaisances tant pourchassa ?
Se Fortune l'eust de piecà
Travaillé, bien s'en fust retraict ;
Vice par mal à bien se traict [3].

Semyramis, l'Assyrienne,
Quant Bélus son mari fut mort,
Elle se vit grant terrienne,
Et print son soulas et desport,
Tant que désir l'enflamma fort

1. *Le Passe-temps d'oysiveté.* (Montaiglon, *op. cit.*, t. VII, p. 233.)
2. *Ibid.*, p. 234.
3. *Ibid.*, p. 235.

D'avoir son filz outre nature;
Souëf nourry ayme luxure.

. . . .

Qui fist aller dame Helaine
Voir Pâris qui venoit de Troye
For Gayelle, la trop mondaine,
Qui a Pâris lui en fist proye?
Mignotise chatoule et froye
Dame qui n'a soing ne besongne;
Nul n'est chaste, si ne besongne[1].

. . . .

Je n'oblyrai point Messaline,
Au temps de Glaude l'Emperesse,
Qui en son ayse féminine
Fut ville et salle jangleresse;
Jamais ne fut soulle de presse
Qu'omme lui fist, tant estoit pute;
Oeuil esgaré tire hors bute[2].

Pretiosa autem pax est, qua freti nihil aliud atque rectum universi colunt. Tum enim :

Par paix les villes et cités
N'ont que faire de clorre porte;
Povre et riche de tous costés
Y vient, à toute heure apporte.
Le povre mengue sa torte
Ses aux [et] oingnons sans cremeur;
Pain sec en paix a grand saveur.

Villes florissent en justice;
Chascun a le sien sans argu;
L'Eglize fait à Dieu service;
Le larron est prins et pendu;
Droit est gardé et deffendu;

1. *Ibid.*, p. 236.
2. *Ibid.*, p. 237-238.

Sainte parole y est oye;
Qui paix n'ayme ne s'ayme mye[1].

Chester tunc Gaguinum interrogat:

D'où nous vient la dure misère,
Que en nostre vie tant amère
Dieu ne nous donne ceste paix[2]?

Respondit Gaguinus bella aliquando quidem ex summa Dei severitate, sed plerumque ex immodesta principum ambitione oriri. Quid tamen ex contentionibus illis calamitosis manat? Honorem tantum et bona haud mansura victores ipsi percipiunt.

Les François jadis ès Itales
Furent seigneurs près de cent ans,
Et ès parties principalles
De Judée furent moult puissans;
Mais tost apres par cours de temps,
Ils n'y laissèrent que leur nom;
L'on prent bien, ainsi le rent on.

Les Dannois jadis et Saxons
A vous, Anglois, firent grans armes,
Ils n'y gaignerent deux oygnons,
Non obstant leurs grans vuaquarmes:
Car après vos pleurs et vos larmes,
Ilz vous laissèrent telz que quelz;
Fort ennuyr n'est pas conquestz[3].

Que vault aux Normans maintenant
Se Guillaume le Duc vous prist?
Je crois qu'en la guerre faisant,
En son païs maint povre fist,
Et combien qu'alors vous conquist,
Vous n'esties Normans, n'eulx Anglois;
Chascun païs garde ses lois.

1. *Ibid.*, p. 255-256.
2. *Ibid.*, p. 259.
3. *Ibid.*, p. 269.

Vous dictes avoir plusieurs tiltres
Et ainsi vous le querellés,
Que France, par drois non sinistres,
Vos compète et que vos l'arrés.
Je croy, quant bien vos contérés
Vos mises, peu vauldra le jeu;
Bien assailly, bien deffendu[1].

Illi sunt quidem optimi poetae versus. Le « Passe temps d'oysiveté » jucunditate et elegantia sua subtilissimorum carminum quae composuit Franciscus Villon velut adumbratam effigiem praebet.

2. *De Gaguini « Arte metrificandi »*. Elatissima vero gravissimaque de arte poetica sentiebat Gaguinus; quae nobis apparent in epistula Carolo Andegaviae, Cœnomannensi comiti, dedicata eademque praefatione operis, cui nomen « De Arte metrificandi » inscriptum, ejusque mentio nobis nunc facienda est.

In illa igitur epistula dicit primum Gaguinus se carminibus componendis cum maximo gaudio incumbere, salva quidem dignitate sua, cum sancti Hieronymi sanctique Augustini exemplum sequatur, « qui summi sapientiae professores suave sonantibus metris suos interdum libros ornaverunt[2] ». Jam vero non est poesis quod plurimis videtur, delectamentum modo et disertae mentis relaxatio, sed ad altiora spectat, velut ad laudes Dei heroumque celebrandas, vel (adludit hic Gaguinus scenicis ludis, in quibus mysteria cum maximo vulgi favore agebantur) « ad erudiendam plebem in compitis atque theatris[3] ». Et Homerus, Strabo, Varro, Cicero, Quintilianus ab eo testes commemorantur, ut poetis honestum officiosum generosumque munus esse demonstrent. Qua impulsus ratione, sub fine inquit, sua de arte metrificandi praecepta composuit, ut divinam poesis artem caram ado-

1. *Ibid.*, p. 270.
2. « Ad Carolum de Andegavia Cenomaniae comitem. » (*De arte metrificandi.*)
3. *Ibid.*

lescentibus redderet eamdemque conditu faciliorem, regulis saepius ignoratis transgressisque artis latine metrificandi ex professo expositis.

Quo anno libellus ille compositus fuerit, haud indicare possumus. In nulla enim editionum quae exstant tempus adscriptum apparet; neque etiam in praefatione, neque in epigrammatibus liminaribus indicium ullum invenimus.

In fronte libelli praescribuntur Gaguini « ad libellum suum[1] » et Ludovici Xantonensis episcopi, immodesti quidem laudatoris, « ad Gaguinum[2] » epigrammata, — epistola deinde atque epigramma « Simonis Recomadoris Angeriaci, Ludovici Xantonensis episcopi secretarii, suo praeceptori et magistro Roberto Gaguino[3] », — tertio Gaguini jucundum subtileque « in laudem artis impressoriae » epigramma, — epistola denique ad Carolum Andegaviae dedicata, de qua praediximus.

In illa ad Carolum Andegaviae dedicata epistola Gaguinus exponit, quo ordine libellum suum composuerit, « cujus in partes tres, ait, distributio a nobis posita est: I°) De metri itaque nomine atque diffinitione, deque litteris ac syllabis primariis ipsius metri partibus, de syllabarum natura initium erit. II°) Pedes deinde quibus velut plaustrum rotis carmen promovetur, eorumque originem et constantiam, quidque in versu, praeter rectas artis praeceptiones, liceat percurremus. III°) Postremo carminum genera quae in vulgatioribus latinis auctoribus lecta sunt cum eorum exemplis studiosius subjungemus[4]. »

Sic institutum opus ita diligenter perfecit, ut e vulgo

1. Ad libellum suum Roberti Gaguini epigramma. (*De Arte metrificandi.*)

2. Lodoici Xantonensis episcopi epigramma in Roberti Gaguini ordinis Sanctae Trinitatis et captivorum generalis preaecepta. (*De Arte metrificandi.*)

3. Simon Recomadoris Angeriacus Lodoici Xantonensis episcopi secretarius suo praeceptori et magistro Roberto Gaguino ordinis Sanctae Trinitatis et captivorum generali. (*De Arte metrificandi.*)

4. Epistola ad Carolum Andegaviae. (*Ibid.*)

hujusmodi librorum Gaguini tractatus eximendus sit. Scholasticos auctores imitari noluit qui ejusmodi opera in partes particulasque argutius dividere solebant, sed clarus est et dilucidus et pressus. Licet quidem breviorem eum existimes; Gaguinus autem se excusans sibi esse propositum non omnia persequi, sed principia summa tantum exponere praedixit. Tertius liber, arti metricae dedicatus, multa continet sagaciter animadversa, eruditionis beneficio diserti illius viri qui poetas latinos penitus perspexerat. Placuit igitur liber litteratis ejus temporis hominibus. *Artis* enim *metrificandi* auctoritatem nobis demonstrant, praeter epigrammata liminaria, testimonia alia nobis tradita, ut hoc consilium a magistro quodam discipulo suo datum: « Fac carmina, sed ante vide prosodiam Gaguini[1]. »

3. De Gaguini epistulis. Inter Gaguini scripta nos praecipue delectant detinentque epistulae. Aequales quoque verisimiliter juverunt, quippe quae a Gaguino, instigantibus amicis, si non omnes, at certe dignissimae visae quae imprimerentur, cum hoc titulo: « Roberti Gaguini, juris canonici interpretis epistolae, ejusdem orationes... » in lucem editae fuerint.

Quo modo et quibus haud quidem solitis circumstantiis in vulgus emissae fuerint ex prima secundaque eclogae epistula discimus. Una ad Jodocum Badium missa, Gaguino privatim amicissimum et correctorem apud Joannem Trechselium, Lugduni typographum, nos docet Gaguinum, mense octobri anni 1497, persuasum tandem ab eis qui illum, ut epistulas in volumina referret, sollicitarent, ad Trechselium manu scriptas perferendas curavisse epistulas, ex quibus gloriam percipere speraret[2]. Ex altera autem ad Durandum Gerlerium, Lutetiae typographum, mense Augusto anni 1498, missa, Trechselium discimus subito mortuum esse, officinamque ejus typographicam, priusquam Gaguini epistulae

1. Roty, *Études sur Robert Gaguin*, p. 22.

2. R. Gaguinus Jodoco Badio; tertio nonas octobris MCCCCXCVII. (*Epistolae et orationes*, fol. 2 r°.)

typis mandari coeptae essent, occlusam, Jodocum Badium igitur codicem auctori reddidisse, Gaguinumque postea statuisse Durando Gerlerio librum excudendum dare[1]. Post hanc variam fortunam liber altero et vicesimo novembris die anni 1498 totus impressus fuit.

Valebat quidem et adhuc valet ad maximam laudem Gaguino conciliandam. Tam multos epistularum locos jam laudavimus ut nemo non viderit quam utilia indicia de vita operibusque auctoris nostri inde haurire liceat. Restat ut scribendi artem Gaguini in his epistulis ostendamus, eisque ad penitus in familiaritatem auctoris nostri intrandum utamur.

Huic operi haud aegre incumbemus, nam epistularum eclogam delibare sufficit. Litteris ad negotia privata vel ad res publicas pertinentibus epistulas jucunditatis plenas, litterulas molle quiddam et inaffectatum habentes, schedulas suaviter hilares mixtas invenimus. Martino Delfo, cujus opus « de arte oratoria » sibi oblatum acceperat, grates et laudes cum lepide tum eleganter expressas persolvit[2]. Prosperos exitus, quos Romae apud Papam consecutus est, verbis dulce commotis, quae illum omni laude dignum amicum fuisse indicant, Ficheto gratulatur[3]. Se deinde a mollitia animi ad lasciviam hilaritatemque expedite et sine intentione refert, magistroque suo jocose narrat quomodo Nominalium et Realium certamini Regis contra Nominales decretum finem imposuerit. « Progrederer ultra scribendo, ait, si te putarem benignum fore lectorem mearum scriptionum. Non silerem plurimas concertationes philosophorum et doctorum nostrorum, quas alii ridiculas prorsus, alii fere gladiatorias in Nominalium et Realium (sic eos appelant) haeresibus id est sectis suscitarunt. Res autem eo deducta est ut Nominalibus

1. R. Gaguinus Durando Gerlerio; xv° kalendas augusti, MCCCCXCVII. (*Epistolae et orationes*, fol. 2 v°.)

2. R. Gaguinus Martino Delfo, theologo Doctori. (*Epistolae et orationes*, fol. 24 r°.)

3. R. Gaguinus Fichcto. (*Ibid.*, fol. 13 r°.)

veluti elephanciae pruritu pestilentibus edictum sit exilium. Quorum celebriores libros, quos et bibliothecis pontificum interdicto distrahi nephas erat, ferro et clavis tanquam compedibus ne intro spectentur, vinctos esse jussit Rex Ludovicus. Putares misellos codices arrepticia quadam frenesi et daemonico furore ne visentes impetant esse ligatos. Sic indomitos leones et belluas vinclis cohibemus carcere. Realibus id est Scoticis atque Aquinatibus tamen suus est honos et libertas quamquam obstrepant semper inter se et rixentur[1]. »

Suaves quoque sunt epistulae, ubi Gaguinus cum amicis garriens, vitae, negotii, moris, studiorum suorum rationem exponit. Uni, qui ex eo quaesivit, cui operi otia possit insumere, se narrat in libris legendis, quam maxime optandis contubernalibus, jucunde tempus terere[2]. Alteri (nam animus non semper ad studendum propensus est) sermones refert, quibus cum vicinis nonnullis, quorum societatem « potionis causa » haud respuisset, familiariter usus sit. Amico suo Xantonensi episcopo, qui haud sine ironia faceta ab eo valetudinem percontatus erat, his jocosis litteris respondit: « Quaesivisti, sancte praesul, (si verus ad me nuncius accessit) ea ne crassitudine essem, quanta eram cum hinc Xantonas concederes. Quanquam est hoc ferme peculiare bene nummosis praesulibus et monachis obesis esse cervicibus et ventre et rubentibus genis profluentibusque palpebris vinum stillare, de meo tamen animo quibus forte artibus sese parasset mallem rogasses. Illa enim delicati vitia sunt epulonis, in quae nunquam fui propensior. Sed, ut paulo jocemur, si vis certemus exauriendis calicibus domi meae pro tuo optatu dicetur tibi dies. Tecum aderunt selecti vel litterario ordine viri quos sectaris, vel ex grege bibionum voracissimi manducones, quorum nec mores nec contubernia me oblectant[3]. »

1. *Ibid.*, fol. 14 r°.
2. R. Gaguinus Johanni Driesco. (*Epistolae et orationes*, fol. 23 v°.)
3. R. Gaguinus Lodoico Xantonensi episcopo. (*Epistolae et orationes*, fol. 14 v°.)

Sed quantumvis sobrium se esse glorificatur, doloribus acerbis podagrae, helluonibus et ligurritoribus proprii morbi, gravibusque etiam indigestionibus saepe ita urgetur, ut lamentabiles questus, suis assertionibus reclamitantes, effundat. Sic olim ad Guillelmum de Ruperforti ex Ambasia scribit: « Invaluit podagra vehementer et me dextri pedis officio prope destituit. Consilium est Parisios quantum patietur valetudo repetere, ut morbum cyrurgus curet qui me sileri dolore aliquando levavit[1]; » et ad alterum: « Decumbebam profluvio graviter admodum afflictus cum tabellarius ex ordine Minorum tuis litteris me occupavit et jam totos dies quindecim ita inanis langueram ut macilentia extenuatus videri possem larva[2]. » Discimus ceterum ex Gaguini litteris ultimam suam aetatem diversis corporis debilitatibus, de quibus continuo quereretur amicis, afflictam fuisse, quippe quos in partem doloris venturos et vires fractas confirmaturos esse pro certo haberet. Anno 1497, praesertim per tres menses, femoris suppurantis causa, lecto nequit surgere, cujus doloris usque ad mortem admonitionem sensit.

Unam ex amoenissimis Gaguini epistulis, quae magistrum aetate gravem, ex omnibus laboribus in villula conquiescentem et cum discipulis, qui eum cum maxima reverentia interrogabant, familiariter viventem nobis monstrat, ad concludendum seposuimus. Scribit enim ad Petrum de Onvillo, canonicum parisiensem : « Cum in hortulos, quos in Sancti Germani suburbano, laxandi nonnunquam animi causa, comparavi, me nudius tertius contulissem, eo consecuti sunt me aliquot scholastici, consuetudine quidem mihi perfamiliares. Ubi dum deambulamus, unus antiquitatis vestigator : « Quandoquidem, inquit, fama est, Gaguine, te operam vehementer dare gestis Francorum cognoscendis,

1. R. Gaguinus Guillelmo de Rupeforti. (*Epistolae et orationes*, fol. 57 r°.)

2. R. Gaguinus venerabili Cornu abbati Cisterciensis ordinis. (*Epistolae et orationes*, fol. 48 r°.)

minime tibi grave fuerit palam facere, si quid de Buridano, — quem frequenter liberalium artium schola refert, — memoria tenes. Plerique enim omnes illum nominant ita ut inter celebres philosophos scribi et laudari optimo jure possit. Quod, medius fidius, non inficias eo. Sed quo tempore tantam philosophandi eruditionem sit consecutus, moleste fero me cum multis ignorare[1]. » — Gaguinus tunc voluntati collocutoris sui obsequitur, cui, postquam laude dignam curiositatem gratulatus est, quod de Buridano novit cum urbana simplicitate expromit. Omnia illa in Gaguini litteris cum gratia tam exquisita exponuntur, ut ad doctissimum, de quo narratur, virum et ad scriptorem, qui narrat, par honos redundet.

4. *De Gaguini orationibus*. Licuit jam in priore libelli nostri parte quantum ad nos de rebus gestis erudiendos valeant Gaguini orationes percipere. Restat tantum ut artem oratoriam, cujus testimonia sunt, ostendamus. Crévier igitur in sua « Histoire de l'Université de Paris », acuto sane judicio fretus, ministri Mathurinorum orationes animadvertit omnibus ejusdem generis operibus superiore aetate in lucem editis satis longo intervallo esse anteponendas, quippe quas nec scholasticorum rhetorum regulae devinctas teneant, nec a textu quodam exordium capiant, qui deinde vanis amplificationibus interpretando explanetur[2]. Orator autem noster dilucide ac presse quidquid sentit expromit, propositionibus et divisionibus callet, multa denique jucunditatis atque utilitatis plena ad singulas partes, ut ita dicam, alendas invenit. Duae sunt ejus maximis laudibus dignae orationes, quas non ejusdem generis participes esse facile agnosces : sermo scilicet quem coram fratribus suis anno 1473 exorsus est, cum Mathurinis Minister generalis ordinis eligendus esset ; concio vero quam Florentiae habuit, ut regi Francorum

1. R. Gaguinus Petro de Onvillo, canonico parisiensi. (*Epistolae et orationes*, fol. 65 v°.)
2. Crévier, *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 395.

socios Florentinos efficeret. Utraque oratio sive sentiendi, sive scribendi modum spectas ut illis temporibus optima est: utramque enim legenti orator strenuus vir ac disertus videtur, qui sine mora ad propositum usque tendit, nec verbis inutilibus indulget, linguam autem si non concinnam at certe puram omnino satisque distinctam usurpat.

Omnia Gaguini scripta, ut nobis propositum erat, exsecuti sumus; adeoque perpendimus ut Gaguinum dignum esse qui inter nostros doctissimos litteratissimosque, in fine quinti decimi seculi viventes, viros honestum locum obtineat, in principio jure dixisse videamur. Is sane, qui Ficheti et Erasmi amicus fuit; graecos latinosque auctores tam sagaci prudentique admiratione prosecutus est; subtile jucundumque carmen, cui titulus inscribitur, « le Passe-temps d'Oysiveté », composuit; de arte metrificandi doctissime disseruit; cum tanta amoenitate elegantiaque epistulas scripsit; orationes tam disertas composuit, is sane inter egregios illos viros, qui jam inde a principio labori assiduo dediti, magnificam artium litterarumque instaurationem, sexto decimo saeculo futuram, praemoliti sunt, haud injuria numeratur. Fortunati illi qui, ut Erasmus, nati sint tam cito ut in maximis eorum laudibus hoc ponatur quod omnia ad artes litterasque instaurandas necessaria comparaverint, tam sero ut ex peculiari ipsorum fama splendida laus artibus litterisque acquisita sit. Ii tamen non spernendi sunt, qui paulo quidem obscurius laboraverunt et modestiorem famam habent, attamen in commune opus renovationis conspiraverunt: illorum numero est Gaguinus.

CAPUT TERTIUM.

DE GAGUINO THEOLOGO.

Ut in historia et in litteris Gaguinus ita in theologia fuit versatus, velut apparet non ex gravi ac denso quodam tractatu, sed ex uno poemate. Immerito vero dubitemus quin theologica auctoritate multum valeat illud poema; in eo enim gravissima atque asperrima tractantur: sine macula Virginem Mariam fuisse conceptam Gaguinus dedit operam ut versibus probaret et argumentis e theologia deductis tam multis probavit ut maximae rationis severitati satisfaceret, floribus tamen undique sparsis et aspera velantibus.

Sine macula Virginem fuisse conceptam cum e nihilo apud Patres apparet[1], tum nondum opinabatur sanctus Bernardus, neque praesertim Innocentius tertius papa qui expresse jactabat, ut Eva sine labe formata cum labe conceperat, ita contra Mariam cum labe conceptam sine labe concepisse. Ab octavo seculo in Occidente venit quidem in morem Virginis conceptionem celebrare, ex quo tamen immaculatam illam fuisse minime inferebatur[2].

Ineunte demum quarto decimo seculo, Franciscanus frater Duns Scottus conceptionem Virginis immaculatam esse habendam docuit, nec ita vero expresse. Sed brevi tempore, tumultu a Dominicanis facto, circa exeuntem quartum decimum seculum atque quintum decimum ineuntem, justum

1. Bonneau, *L'Immaculée Conception, poème de Robert Gaguin*, Praef., p. VII-VIII.
2. *Ibid.*, p. IX.

proelium ambo ordines dimicarunt, in quo atramentum copiose et verba effuderunt. Attamen Immaculata Conceptio a multis est probata, nam pro illis a concilio Basilense lis fuit exsoluta decernente « gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjectam fuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam fuisse[1] ». Quod quidem decretum fuerat postquam Eugenius quartus, papa, Concilium anathematis sententia ferierat; multi igitur ex christianis, cum papa stantes, pro nihilo decretum duxerunt. Attamen disputationes primum sedatae exeunte quinto decimo seculo iterum ortae fuerunt; in his recentioribus versatus est Gaguinus.

Sic illo tempore stabat res apud theologos : omnibus in hoc convenientibus quod in Matris ventre Virgo sancta facta fuerat, Immaculatae Conceptionis cum adversarii opinabantur sanctificationem fuisse simul atque animatio fuerat, tum fautores sanctificationem in ipsa conceptione fuisse contendebant, dum Joachimus cum Anna jungebatur. Duo enim tempora in conceptione secernunt theologi : carnis conceptionem, quae e sexibus conjunctis et semine ejaculato, — spiritus conceptionem, quae ex anima, circa octogesimum diem post coitum, in foetum jam conformatum inspirata constat, id est, ut dicunt, animatio. Adversariis Immaculatae Conceptionis videbatur Virgo non ante sanctificata esse potuisse quam animata fuisset, idcirco quia inanimatus foetus non magis est gratiae capax quam sputum, ut dixit sanctus Anselmus; jam vero cum Joachimi et Annae coitus ut solitum est et secundum communem normam fuerit factus, nec hac voluptate caruerit quae ex originali peccato procedit, Virginis conceptionem, « in foetu ante infusionem animae rationalis », peccato fuisse contaminatam necesse erat.

Quam opinionem egregie tunc explicabat Dominicanus

1. *Ibid.*, p. XII.

quidam, in Italia natus, Vincenzio de Bandello[1] nomine, qui paucos inter annos in Immaculatam Conceptionem duo volumina emiserat, quorum unius, anno 1475 editi, titulus erat: « Libellus de veritate Conceptionis gloriosae Virginis Mariae » et alterum anno 1481 typis mandatum, cum hoc inscripto nomine : « Tractatus de singulari puritate et praerogativa Conceptionis matris Salvatoris nostri Jesus Christi[2]. »

Quos ambos libros ut refutaret Gaguinus operam dedit et opinionem suam vicissim explicavit :

I° Per copiosam orationem dicatam « cunctis Mariae, matris Christi, veneratoribus[3] » ;

II° Per carmen Vincentio de Bandello missum, cui titulus inscribitur : « *De Mundissimo Virginis Mariae conceptu*[4] ».

Nihil vero facit Gaguinus nisi altera alterum explicare atque eadem tum versibus, tum sermone demonstrare.

Vidimus haec dua esse argumenta ab omnibus Immaculatam Conceptionem negantibus atque in primis a Vincentio de Bandello usurpata. Non admitti potest :

I° Nec sanctificationem Virginis prius factam fuisse quam foetus animaretur, cum ex theologorum opinione a foetu gratia recipi non possit ;

II° Nec Annam et Joachimum sine pravis cupidinibus coivisse, quae cum ex originali labe procedant, labe progeniem foedant, ita ut in peccato nascatur.

Quorum alterum argumentum solum tractat Gaguinus atque maxime inopinata ratione refutat. Probare enim con-

1. Vel Vincentius de Castro-Novo, ut appellat eum Gaguinus. Fuit minister generalis Ordinis Praedicatorum in anno 1501.

2. Bonneau, *op. cit.*, p. XII-XVII. — Cf.: Pastor, *Geschichte der Paepste*, t. II, p. 573-574.

3. « Cunctis Mariae matris Christi veneratoribus, Robertus Gaguinus, ordinis fratrum Trinitatis de redemptione captivorum dictus Maior Minister, salutem et veram quam suis Christus discipulis reliquit charitatem optat et pacem. » (*Robertus Gaguinus de puritate conceptionis beatae Mariae Virginis*, Parisiis, Félix Baligaut.)

4. Vel *Tractatus de Puritate conceptionis Virginis Mariae adversus Vincentium de Castro-Novo*. (Bonneau, *L'Immaculée Conception de la Vierge, poème de Robert Gaguin*, Paris, 1885.)

tendit Joachimum atque Annam conjunctos fuisse sine illa voluptate quae coitui jungi solet, Virginis itaque parentes originali labe non contaminatos fuisse atque ergo progeniei suae Mariae labem traducere non potuisse. Ea igitur in peccato, ut asserit Vincentius de Bandello, non fuit concepta, cui parentes gratiam, cujus essent participes, communicaverint.

Ceterum Gaguinum verba facientem audiamus, in illo orationis loco ubi opinionem suam exponit. « Quum religiosissimi Mariae parentes, ait, prolis studio qua diu caruerant affecti, continuis se precibus apud Deum exercebant, orantes sibi concedi sobolem quam sancte educarent et divinis formarent institutis, exauditi sunt. Et nuntio divinitus accepto pietate magis quam voluptate congressi, sine libidine, ut pie credi fas est, Mariae generationi semen in moris sudorem posuerunt. Incubis enim, quos ex daemonibus fieri traditur, potestas est sumpti alicunde seminis servandi atque effundendi, quum tamen humanae libidinis sunt expertes; cur igitur quispiam mente purgatus et per continuam pietatem ab animi perturbatione sepositus, et cui attrita sit caro exercitatione virtutum et diuturnitate jejuniorum effoeta, cur, inquam, sine ulla veneris titillatione, si Deus unice adjutor est, non operetur genituram?... Quo coituros modo conjuges, in prima illa si perseverassent innocentia, plerique affirmant, ita ut ad procreandos liberos manaret ab illis semen non secus ac ab aestuante liquitur sudor[1]. »

Illam haud certe solitam opinionem in poemate Gaguinus expromit. Post brevissimum exordium ubi, in Vincentium contumelias effundens, impietatem ejus vituperat, Gaguinus a priori demonstrat illam Immaculatam Conceptionem nunquam in litem venire oportere. Quid enim? Cum Eva, haud innoxia mortalium mater, sine peccato concepta fuisset, tum Maria, omnium hominum spiritu mater, purissima castissimaque parens, immerita labe foedaretur?

1. *Robertus Gaguinus de puritate conceptionis beatae Virginis Mariae.*

Eva nocens mater, gentem enixura caducam
Candida de puro prodiit osse viri,
Spirituum genitrix, recreandi sarculus orbis,
Venerit in tenebris sordida? Non fateor[1].

Cui argumento a priori sunt alia quae addi possunt fortiora. Rationem suam propriam iterum tractat Gaguinus atque demonstrat « multis signis et rationibus Virginem Mariam sine parentum pruritu et libidine fuisse conceptam ». Cur enim pietate sua ac sanctitate mortales nonnulli cupidinibus et turpibus motibus hominum non liberarentur ?

Cur neget alma fides sudoris more liquari
Semina posse viris, dum pia vota gerunt ?
Atque equidem credo, salva pietate, Mariam
Pruritu nullo germinis esse satam.
. . . .
Gratia cur nequeat, arctato fomite luxus,
Claudere dissuetis regna libidinibus ? [2]
. . . .
Quid causae dicas cur non domet ignea virtus
Lascivum in membris atque petulca liget ?
Sacro igitur compluta caro divinitus imbri,
Dans operam gratis, non cupit et generat[3].

Poeta vero, argumentorum multo ditior quam fuerat orator, ad legentem enim suadendum cumulat exempla et a Scripturis deducta et e Sanctorum vita excerpta atque etiam a medicis animadversa.

Insuper dicit Gaguinus quod fortasse satis superque fuisset, nobis esse obsequendum huic Immaculatae Conceptionis mysterio, quod Deus voluit atque excutere nefas.

Congruit hoc Gnato penitus lucescere Matrem ;
Si decuit, voluit, si voluit quid obest ? [4]

1. *Tractatus de puritate* ... (Bonneau, p. 16.)
2. *Tractatus de puritate* ... (Bonneau, *op. cit.*, p. 20.)
3. *Ibid.*, p. 22.
4. *Ibid.*, p. 30.

Sic breviter exposuimus hoc subtile jucundumque Gaguini opus, in quo simul conveniunt theologi argutissima poetaeque amoenissima. Jam in proximo capite quanti apud litterarum peritos valeat opus illustravimus, neque iterum dicemus. Deprehendere quidem licet nonnulla nimis arcessita vel subobscura vel putida, quibus non erat locus; tollere velles gravissimas contumelias in adversarium jactas, quem « belluam, canem, furciferum » appellat. Sed ignoscendum est his vitiis quae sive e materiae asperitate, sive e temporis moribus pendent; admiranda vero loca non pauca in quibus, argumentis theologi relictis, Gaguinus poeta fit ac Christi vates.

De tempore autem quo compositus sit « Tractatus de mundissimo Virginis Mariae conceptu », hoc solum dici potest antiquissimam ex editionibus nobis notis anno 1489 esse inscriptam. Carmini juncta est interpretatio a Carolo Ferrando theologo composita et epistula « Arnoldo Bostio, ordinis divae Mariae de Carmelo, religiosissimo professori » dedicata. Ita vero placuit opus ut necesse fuerit plurimas editiones emittere, quarum optimam anno 1498 apud Durandum Gerlerium edidit Gaguinus et « sacro Theologorum Doctorum Parisiensis Academiae Collegio » dedicavit.

Oportet denique scire Gaguinum Virginis parvum « officium » ad majorem Immaculatae Conceptionis gloriam composuisse[1], quod non possumus non theologi operibus jungere.

1. *In conceptione beatae Mariae Virginis per eundem Gaguinum officium*. (*Robertus Gaguinus de puritate conceptionis beatae Mariae Virginis*, Parisiis, Félix Baligaut.)

CONCLUSIO.

Gaguini vita explicata, operibus examinatis et judicatis, opus a nobis susceptum consummatum est. Legentine placuerit scriptoris et viri imago? Haud minime exoptamus; quo incitemur ut, hoc exsecuto, quod jamdiu nobis erat, proposito, nonnulla e Gaguini operibus excerpta colligamus et in lucem emittamus. Nobis enim videtur Gaguinus esse dignus qui inter viros in historia scribenda vel litteris colendis versatos honestiorem quam etiamnunc occupat locum teneat. E vita ejus examinata animadvertere potuimus quibus virtutibus usus fuerit legatus, Generalis Minister et Universitatis doctor excellens. Videre quoque licuit quanti aestimatus fuerit ab eminentissimis hujus temporis hominibus. Explorato denique ejus opere fateri decuit ejus scripta, etsi non inter prima illustrantur, Gaguino tamen magno honori esse nobisque licere ut illam litterarum artiumque clarissimam instaurationem, quae sexto decimo seculo facta est, eum praemolitum esse asseramus. Nonne igitur satis superque fuit ut e tenebris, quibus diutius erat obrutum, nomen ejus detrahamus?

FINIS.

Vidi ac perlegi :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. III nonas jul. ann. MDCCCXCV.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX CAPITUM

PRIMA PARS.

DE ROBERTI GAGUINI VITA.

SECUNDA PARS.

DE ROBERTI GAGUINI OPERIBUS.

7.



